Vol. III. — Fasc. VIII. 10 octobris 1930.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

VIII.

DE CONGREGATIONE PROCURATORUM LX.

(27-30 sept. 1930).

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XTI.

Cum Procuratorum Congregatio nuper soluta id negotii sit, quod totius Societatis profecto maxime interest, de ea sine mora vobiscum colloquendum duco; quin etiam, quo citius ad vos perferantur ea omnia quae ad hunc Societatis conventum pertinent, hic *Memorabilium* fasciculus de Procuratorum Congregatione totus erit; eo magis quod, cum sexagesimum inter huiusmodi Societatis Congregationes haec teneat locum (1), peculiarem hanc qualemcumque quasi iubilarem memoriam mereri videtur.

Sexagesima igitur haec Procuratorum Congregatio, quae superiores omnes, tam antiquae quam restitutae Societatis, Congregatorum numero superavit (2), praeter Patrem Nostrum et septem Assistentes, qui ex officio ad huiusmodi conventus ius habent, triginta septem Procuratoribus ex totidem Provinciis missis constabat: aderant enim nunc primum Procuratores trium novarum Provinciarum Brasiliae Meridionalis, Cechoslovachiae, Chicagiensis.

Itaque die 27 septembris, in anniversario primae Societatis confirmationis pontificiae, primus Congregationis Procuratorum consessus habitus est, in quo P. Petrus Tacchi Venturi, Provin-

(1) Cfr. supra, pag. 77.
(2) Cfr. supra, pag. 57.

ciae Romanae Procurator, Secretarius Congregationis est renuntiatus. Ad alterum Congregationis consessum die 30 septembris convenerunt Patres, qui per suffragia secreta edixerunt Congregationem Generalem non esse cogendam. Ab utraque sessione afuit R. P. Ladislaus Jankiewicz, Assistens Slavicus, ob morbum quo lecto decumbere cogebatur; sed in secundo conventu, ad normam n. 25 Formulae, suffragium suum tulit, illud clausa theca excipientibus et in aulam deferentibus duobus Procuratoribus sollemni professione iunioribus, PP. Paulo Durão (Lusit.) et Henrico del Valle (Mexic.).

In utraque sessione, secundum morem et Formulae suasionem (nn. 12 et 27), Pater Noster Procuratores et per eos universam Societatem est allocutus, ut infra (1) et etiam in proximis *Actis Romanis* legetis.

Allocutioni in altero conventu a Patre Nostro habitae aderat, secundum Formulae permissionem (n. 30), etiam P. Marcellus Renaud, Viceprovinciae Brasiliae Centralis Praepositus et Relator, qui per illos dies Romam advenerat. Huic autem alteri adhortationi ore tenus adiecit Pater Noster « se e commentariis de Provinciarum rebus a Procuratoribus sibi porrectis clarius perspexisse quanta prudentia quantaque ad rectam gubernationem utilitate S. P. Ignatius constituisset, ut tertio quoque anno Provinciae singulae aliquem bene probatum sodalem ad Praepositum Generalem mitterent, cuius muneris esset ea melius coram vivaque voce supremo moderatori explicare, quae solis scriptis difficile eadem claritate percipi solent; porro se ex imo corde gratias agere Procuratoribus eo quod optimis suis, quas obtulerant, relationibus egregie suo quisque munere perfuncti essent » (2).

Tum, perfectis aliis a Formula praescriptis et gratiis Deo relatis, soluta sunt huius Congregationis comitia, quorum grata memoria ut perpetuo servaretur, vix ab aula egressi erant Patres, cum machinae photographicae ut sese exprimendos praeberent rogati sunt; idque ea ratione factum est, quam in imagine huic fasciculo annexa cernere potestis (3).

---

(1) V. infra, pp. 487-511.

(2) Ex *actis* mss. huius Congregationis.

(3) Patribus Congregatis, Patre Nostro invitante, sese adiunxerunt P. Demaux-Lagrange Societatis Secretarius, P. Augustinus Tesio Procurator Generalis, P. Renaud Relator Brasiliae Centralis.

Eodem die 30 septembris, paulo post meridiem, omnes Patres Congregati, Patre Nostro praeeunte, Vaticanas aedes adierunt a Summo Pontifice in colloquium excipiendi: quibus sese adiunxerant Societatis Secretarius, Procurator Generalis et P. Marcellus Renaud, de quo superius dixi. Singulis manum osculandam benignissime proferebat Beatissimus Pater, indicante Patre Nostro unde singuli venirent. Throno deinde assidens, eos peramanter est allocutus in illum fere modum, quem infra (1) sumus relaturi.

* * *

Sollemnem hanc occasionem nactus Pater Noster, qua primum huiusmodi Societatis conventus in nova Praepositi Generalis sede habebatur, ingentem statuam, quam in honorem SS. Cordis Iesu tempore beatificationis P. Claudii de la Colombière in summo horto collocatam et mox in solidiorem materiam convertendam esse alias commemoravi (2), quaeque ante paucos menses, aenea facta, stabili ratione erecta fuerat, rite dedicare voluit: nam in hunc finem distulerat tunc liturgicam benedictionem peragere (3).

Igitur die 29 septembris sub vesperam convenimus ad pedes monumenti: aderant etiam, praeter PP. Procuratores omnesque Patres et Fratres Curiae Societatis addicti, Superiores aliique nonnulli ex omnibus nostris Romanis domibus, praeeunte Praeposito Provinciae Romanae P. Adulfo Mariotti.

Pater Noster, formula benedictionis secundum Rituale Romanum recitata, totum monumentum circumiens illud aqua lustrali aspersit. Omnibus dein in genua provolutis, idem Pater Noster nomine totius Societatis Sacratissimo Cordi Iesu gratias egit ob peculiare nobis commissum munus propagandi dulcissimum

---

(1) V. infra, pp. 485-487.

(2) V. supra, pp. 317-318.

(3) Statuae huius simulque nostri horti imago photographica huic fasciculo praeponitur, in qua etiam partem, quamvis exiguam, nostrae domus, et a longe Basilicam quoque Vaticanam atque etiam Pontificias Aedes cernere poteritis. In praecipua fronte basis monumenti aeneis characteribus expressa leguntur haec verba: SALUS TUA EGO SUM; eademque sententia italice et graece exprimitur in fronte dextera et sinistra eiusdem basis. — Parvum simulacrum ex marmore albo, quod in imo horto cernitur, est statua S. Ioseph, quam Patrem Nostrum ob insignia Sancti Patriarchae beneficia se erecturum spopondisse ac dein revera erexisse alias narravi (v. supra, pp. 17-18; 402, ad 15 dec. 1928).

divini Cordis cultum, Eique promissionem totos nos in id impendendi iteravit: cuius quoque consecrationis actum inferius referemus (1).

* * *

Tam ante quam post peractam Congregationem Pater Noster singulos Procuratores de statu et negotiis suarum Provinciarum relaturos tanto tamque assiduo cum labore excepit, ut quidam iam ipso die 30 septembris vespere, reliqui inter perpaucos dies Roma abire potuerint.

Ex Relatoribus vero Viceprovinciarum et Missionum, quibus ius Relatorem Romam mittendi occasione Congregationis Procuratorum concessum erat (2), plurimi superioribus mensibus tempestive advenerant, reliqui nunc ipsum domi adsunt aut mox venturi nuntiantur: ita ut tempore Congregationis, si Relatorem Viceprovinciae Cubanae (3) et Relatorem Viceprovinciae Brasiliae Centralis (4) excipias, quorum alter etiam suae Legionensis Provinciae Procurator electus erat, alter suum Romanum iter in aliud tempus commode reiicere non potuit, nullus alius ex Relatoribus Romae aderat. Quod quidem consulto factum est; nam, cum Relatores non simul convenire sed tantum cum Patre Generali singillatim agere debeant, id extra Congregationis tempus commodius et opportunius praestare possunt.

Atque haec sunt, Reverendi Patres Fratresque carissimi, quae vobis referenda habui de his « triennalibus quasi nundinis caritatis » ut eas vocabat P. Mutius Vitelleschi, « in quibus Societas, quia coram ipsa non potest, per Procuratores dat testimonium fidelitatis suae Iesu suo » (5).

Vestrum omnium ss. SS. et orationibus me enixe commendo.

Romae, die festo S. Francisci Borgiae, 10 octobris 1930.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

---

(1) V. infra, pp. 511-512.

(2) Cfr. *Acta Romana*, vol. VI, 1929, pp. 352-354.

(3) R. P. Henricus Carvajal, eiusdem Viceprovinciae Cubanae Praepositus.

(4) V. supra, pag. 482.

(5) R. P. Mutius Vitelleschi, in allocut. I ms. Congr. Proc. XVII^{ae}, an. 1633.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS AD PATRES CONGREGATIONIS PROCURATORUM (1)

(30 sept. 1930).

Throno assidens Beatissimus Pater haec dixit:

Se montiamo qui sopra non è per tenere e per infliggere un discorso, a voi, dilettissimi figli, diletti fra i diletti.

E' sempre con gioia che noi vi vediamo, oggi poi ci rappresenta la vostra presenza tante cose belle. Voi venite da tutte le parti del mondo, e quindi la vostra rappresentanza è mondiale; ma di più essa ci porta qui presente tanta parte della famiglia cattolica. Non intendiamo solo parlare della visione oculare, di quella che ci avete fatto vedere passando a conoscervi ad uno ad uno; ma specialmente della visione dell'anima, e della visione spirituale, che ci fa vedere dietro a voi tutta la vostra grande famiglia religiosa, tutti i vostri fratelli che lavorano in tutte le regioni del mondo; ed inoltre tutto il grande numero di anime che vengono a voi e ai vostri fratelli come a centri di luce e di calore, come a focolari di grande santificazione, luce di verità e calore di carità. Non è possibile soddisfare alla nostra intima tentazione di fermarci a godere, più a lungo di quello che abbiamo fatto, della vostra conoscenza, come tanto volentieri vorremmo fare. Questo è già sufficiente per esprimere abbastanza i sentimenti che abitualmente sentiamo per la vostra grande famiglia, e che sono attuali in questo momento, e con i quali vi benediciamo. Vi im-

---

(1) Cfr. supra, pag. 483.

partiamo una grande benedizione, come voi la desiderate: benedizione a voi e che si distribuisca poi a tutto quello che voi volete, a tutte quelle opere, a tutte quelle persone fisiche e morali, a tutte quelle intenzioni che ciascuno di voi porta nel pensiero e nel cuore, lasciando a voi di portarla e distribuirla a tutto e a tutti.

Post impertitam benedictionem haec addidit:

Poichè voi venite da tutte le parti del mondo, potete pure dire a tutti quelli che numerosi ogni giorno, con filiale amore, ci scrivono chiedendoci notizie della Nostra salute, che con l'aiuto di Dio ci troviamo bene, e neppure siamo prossimi ad una malattia, se pure Iddio non disponga altrimenti.

Latina interpretatio:

Quamquam huc (in thronum) ascendimus, ne vereamini, Filii dilectissimi, inter dilectos dilecti, ne vereamini Nos velle vobis sermonem habere atque infligere.

Attamen vos hic videre gaudio semper est Nobis; hodie vero vestra haec praesentia pulcherrima quaeque Nobis menti suggerit. Undique venitis; vos igitur universi orbis personam quodammodo geritis; sed praesertim magnam familiae catholicae partem per vos praesentem cernimus. Non enim de sola loquimur oculorum visione, qua dum aulam circumibamus, singulos cognovimus; sed potissimum de spirituali visione loquimur, qua in vobis et per vos totam vestram inspeximus magnam religiosam familiam, omnes vestros fratres in cunctis terrarum partibus strenue laborantes, et post vos omnes ingentem numerum animarum, quae ad vos et ad vestros fratres tamquam ad lucis et caloris centra, lucis veritatis et caloris caritatis, tamquam ad validas sanctificationis officinas accurrunt.

Intimo equidem desiderio pertentamur diutius hic consistere, quo diutius vestra praesentia fruamur; sed tentationi tam suavi obsistere debemus, cum alii complures Nos maneant. Haec tamen perpauca sufficiunt ad Nostros vobis ostendendos paternos sensus, quibus vestram magnam familiam continenter prosequimur: qui sensus nunc quam maxime Nos tenent, dum vobis ex animo benedicimus.

Largam siquidem benedictionem impertimur, qualem optatis; eaque ad vos primum, sed dein ad omnia extendatur, quae vos vultis, ad omnia opera, ad omnes personas sive morales sive physicas, ad

omnes intentiones, quas quisque vestrum mente et corde geritis; vobisque relinquimus curam eam ferendi eamque distribuendi omnibus.

Tum, e throno descendens, magna cum familiaritate rursus Patres est allocutus, iis committens ut, ad suam quisque regionem reversi, omnes qui de communis Patris valetudine ob falsos rumores quaquaversus callide diffusos valde sunt solliciti, certiores faciant iisque testes fiant Summum Pontificem, Deo favente, optime valere nec ullum morbum, quantum humanitus coniici potest, Ei imminere, nisi Deus aliud disponat.

II.

PRIMA PATRIS NOSTRI ADHORTATIO AD PP. PROVINCIARUM PROCURATORES

(27 sept. 1930).

REVERENDI IN CHRISTO PATRES:

Cum sexagesimae huic Procuratorum Congregationi feliciter contingat, ut primus sit huiusmodi Societatis conventus, qui in hac nova Praepositi Generalis sede habeatur, dum vos omnes, Reverendi Patres, ex animo saluto, mihi temperare non possum quin etiam vos rogem ut debitas mecum Divinae Bonitati gratias agere velitis quod tam necessarium aedificium tandem perfici potuit. Iam diu enim universale Societatis regimen maximis loci angustiis haud parum impediebatur: quod incommodum, quamquam generosa Collegii Germanici-Hungarici hospitalitas illud levare conabatur, gravius in dies fiebat ob felix admodum non modo sodalium, sed etiam operum Societatis incrementum. Et quoniam ad construendas has aedes, fraterna quadam caritatis concertatione, omnes Societatis Provinciae, pro suis quaeque viribus, quamquam non pauca adhuc desunt, ultro nec sine sacrificio contulerunt, meum officium duco sollemni hac occasione uti ut per vos gratissimum animum universae Societati exhibeam.

Nec praetereundum hanc domum peculiari quadam ratione

sanctissimo illi Societatis Praeposito Francisco Borgiae dicatam esse, cum quo, ut iam notavit P. Franciscus Sacchini in « Historia Societatis » (1), intime connectitur nostra triennalis Procuratorum Congregatio: nam, eo regente, a Congregatione Generali II hic Societatis conventus est institutus; prima huiusmodi Congregatio ab eo indicta eoque praeside habita est; prima de modo eam celebrandi praescripta secundum mentem Congregationis Generalis ille confecit, e quibus complura in propriam huius Congregationis Formulam transierunt in eaque etiam nunc servantur. Nullum igitur dubium quin, cum S. Parente Nostro Ignatio, hunc quoque praesentissimum simus habituri caelestem nostri conventus Patronum, cuius diem festum in commodum quarundam Provinciarum deinceps eligendum duximus ad Congregationem Procuratorum indicendam. Adsint etiam nobis de caelo Sancti Petrus Canisius et Robertus Bellarmino, qui olim, suarum Provinciarum Procuratores electi, huiusmodi Societatis conventus et doctrina ac prudentia iuverunt et sanctitate honorarunt.

His igitur supernis auxiliis suffulti, negotium nobis a Societate commissum alacri animo aggrediamur.

Et quoniam Formula nostrae Congregationis (n. 12) me iubet aliquid de fine huius conventus vobis in mentem redigere, cum vero scientibus loquar (complures enim e vobis iam alias huc convenerunt omnesque Institutum optime calletis), id facili admodum negotio expediam. — Ut bene nostis, duo vobis officia commissa sunt: alterum, ut Constitutionum verbis utar (P. VIII, c. 2, B), « certiorem facere multis de rebus Praepositum Generalem », quod quidem singuli mecum conferendo praestabitis, clare, fideliter et sincere de suae quisque Provinciae statu referentes, praecipua rerum capita indicando sive quae bona insigniora videantur, sive quae validiore remedio indigeant; alterum, quod ipsa Societas in Congregatione Generali II, Procuratorum Congregationem instituendo, cum illo primo sapienter coniunxit, votum de cogenda necne Congregatione Generali simul ferre.

Non est cur de utriusque huius vestri officii momento vos diutius commoneam; per vos ipsi intelligitis quantum auxilii non solum vestra cuiusque Provincia, sed universa Societas a vestra prudentia ac fidelitate exspectet. Ardens ipse amor quem fove-

(1) Sacchini, *Hist. Soc. Iesu*, P. III, lib. 4, n. 126.

mus omnes erga dulcissimam hanc Matrem nostram, Societatem Iesu, nobis validissimo incitamento erit ad ea fideliter praestanda, quae ad maiorem Dei gloriam noverimus esse utiliora.

* * *

Ad id autem melius obtinendum, breviter vobis, secundum morem, in memoriam redigam praecipua quaedam rerum capita, unde hodiernum Societatis statum facilius dignoscere possitis.

Et primo quidem, occurrunt insignia admodum divinae Bonitatis dona superiore triennio tam liberaliter in Societatem effusa, pro quibus ex imo corde immortales Deo rependendae sunt grates.

Inter haec beneficia non mirabimini, Reverendi Patres, me primum omnino locum tribuere Encyclicis Litteris «Mens Nostra», quibus thesaurus ille noster pretiosissimus, Exercitia inquam Spiritualia, tot tantisque laudibus a Summo Pontifice coram universa Ecclesia extollitur et commendatur. Et quamquam sollemne hoc documentum non nobis proxime sed universo catholico orbi datum est, nullum tamen est dubium quin Societas illud inter praecipuas Instituti sui approbationes semper sit habitura; siquidem per illas Litteras iterum iterumque a Christi in terris Vicario certiores fimus nos rectissima prorsus atque tutissima progredi sanctitatis via, firmissimum esse fundamentum quo Constitutiones nostrae totae innituntur, validissima esse arma quibus utimur ad praelianda praelia Domini et innumeras Christo animas lucrandas.

Scitis praeterea, Reverendi Patres, quot quantique Societatis filii Beatorum atque etiam supremis Sanctorum honoribus non ita pridem sint decorati: quae Fratrum nostrorum gloria non humanis quamvis sanctis et multiplicibus industriis nostris, sed uni divinae Providentiae debetur, quae, sicut insperatae harum Causarum instaurationi ante aliquot annos vix non fortuitam praebuerat occasionem, ita dein, accedente etiam magna admodum Summi Pontificis benevolentia, iis persequendis et perficiendis tam feliciter viam stravit, ut, inusitata prorsus et in nostra historia omnino inaudita celeritate, quos Beatos nuncupare vix eramus assuefacti, eos nunc Sanctos invocare et colere gaudeamus. Quod si eos paulo altius venerabundi inspicimus, mirum divinae Providentiae consilium adorabimus, quae eorum exempla vividiore

luce nunc splendescere voluit; siquidem in iis et indefessus Missionariorum zelus et invicta Martyrum fides et fulgida Magistri atque Scriptoris doctrina una cum pia erga Sedem Apostolicam veneratione, firma adhaesione, sincera obedientia, imitanda proponuntur: quae omnia nostris temporibus in tanta errorum colluvie quam opportuna atque adeo necessaria sint, nemo est qui non videat. Accedit quod omnes hi novensiles Caelites Patroni in idem quoque conveniunt vehemens catholicae unitatis studium, quod tantopere nunc, divino sane afflatu, fovetur; cui quidem unitati promovendae totis viribus atque etiam profuso sanguine laborarunt sive inter infideles, ut Sancti Ioannes de Brébeuf, Isaacus Jogues eorumque Socii, sive inter haereticos et schimaticos, ut BB. Martyres Angli et B. Ioannes Ogilvie; eandemque unitatem ubique semperque tam strenue propugnavit S. Robertus Bellarmino, ut a Benedicto XIV haereticorum malleus dici, a Benedicto XV catholicam religionem propagantibus et tuentibus exemplar indicari meruerit.

Nec minus opportuni evenerunt optatissimi honores B. Claudio de la Colombière tributi eo ipso anno, quo festum SS. Cordis Iesu ad supremum liturgiae gradum evectum erat: per hanc beatificationem tota Societas sibi quasi confirmari persensit suavissimum mandatum divini Cordis cultum propagandi; quod quanti ab ipsa fiat, vel ex his complurium Provinciarum Postulatis nuper ad me missis apparet, quibus petitur ut quotannis die 2 iulii hoc officium Societati commissum festiva quadam commemoratione celebretur. Meum autem duxi efficere, ut tunc ad novi Beati triumphum tota Societas quodammodo adesset, advocatis undique Apostolatus Orationis vel Nuntiorum SS. Cordis Directoribus; eiusque festivitatis perenne mnemosynon in hoc Societatis centro exstat illud aeneum SS. Cordis simulacrum, quod in summo nostro horto erectum tanto cum plausu ab externis quoque, imo a tota, paene dixerim, Urbe exceptum est.

Ab illa eminenti specula dulcissimus Rex et Dux noster minimam suam Societatem per universum orbem ad maiorem Dei gloriam strenue dimicantem benignissime circumspicere videtur eique vires infundere dicens: « Salus tua ego sum » (1). Et sane etiam hoc proximo triennio non defuit Societati occasio « insi-

(1) Cfr. supra, pag. 483, nota (3).

gnem se exhibendi in omni servitio sui Regis aeterni ac Domini universalis » secundum spiritum S. P. Ignatii, praesertim in Mexico, ubi Patres Fratresque Nostri heroica prorsus constantia, mediis in persecutionis fluctibus, imperterriti in ministeria apostolica incumbentes, periclitantibus fratribus astiterunt eorumque animos erexerunt: digni sane qui suae Provinciae summam quoque martyrii palmam promererentur, quam pro Christo Rege (quantum humanitus fas est iudicare) fuso sanguine tulit P. Michael Augustinus Pro, cuius laus profecto iam nunc in Ecclesia est.

Similem animi constantiam admirati sumus atque admiramur in carissimis Missionariis Sinensibus, quos revera impavidos feriunt ruinae: medii inter tam varios diuturni belli civilis eventus, continuis praedonum incursionibus vexati, necibus (ut anno 1926 Nankini) aut saltem periculis quamplurimis afflicti, depopulatas Missiones patienter reficiunt, dirutas aedes denuo aedificant, fideles fame et aerumnis depressos erigunt, Deo unice fidentes quotidianos labores tranquilli suscipiunt, quid in crastinum sibi obventurum sit minime solliciti. Eos solentur atque adiuvent fraternae Societatis preces, quibus potissimum commendo Missionem de Wuhu Provinciae Castellanae, quae nuper uno mense quatuor iuniores Missionarios pestifero morbo sibi ereptos luxit, et Missionem Ankinensem Provinciae Legionensis, quae nunc ipsum duos validos Patres in durissimam servitutem a praedonibus redactos dolet, neque ulla humanitus affulget spes eos liberandi.

Quod equidem huiusmodi persecutiones et vexationes inter beneficia divinae Providentiae connumerem, non vos profecto mirabimini, Reverendi Patres, qui, Exercitiorum Spiritualium doctrinam callentes, mysterium crucis eiusque mirabiles fructus optime nostis. Mirabitur forsan quis quod beneficia duco alias quascumque persecutiones, etiam subdolas illas et serpentinas calumnias (ut Beatissimus Pater in allocutione diei 4 maii huius anni eas vocavit), quibus Societas impetitur fere ubique, callida et clandestina quadam consociatione impellente ac libellos malignos contra nos incredibili prodigalitate spargente, praesertim inter utrumque clerum, ut ei fiamus odiosi, et inter iuvenes, ut a Societate et maxime ab ea ingredienda abhorreant. Nec frustra, proh dolor! nam, etsi alicubi, ut in America Septemtrionali, in

Anglia, in Belgio, in Neerlandia, hae machinationes nihil fere nobis noceant, alibi contra plus minusve aliquid efficiunt, alicubi etiam plurimum nocumenti afferunt, ut a Postulato cuiusdam Provinciae apparet. Et tamen, in universum loquendo, hae quoque insectationes vera beneficia aestimari debent, non modo quia unice pro nomine Iesu contumeliam patimur: ipsam enim Societatem, Iesu nomine insignitam et Sanctae Sedi plene deditam, potius quam singulos quosdam sodales, adversarii nostri calumniantur; sed etiam quia « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum »: nam hae exteriores impugnationes, ut S. P. Ignatius de tempore desolationis monet (1), ad insistendum magis orationi et ad multum examinandum nos impellunt, ne ullam calumniandi occasionem inimicis nostris praebeamus; et quamquam cum omni humilitate atque operosa caritate plures in dies amicos nobis conciliare studemus, in Deo totam nostram fiduciam unice reponendam esse edocemur.

Verum, contra adversariorum calumnias nostrum est eas quoque adhibere humanas industrias, quae Societatem in pleniore luce ponere possint et veritatem de nostris rebus sinceras mentes doceant. Ad id in primis magno erit auxilio copiosiora de Societate historica documenta, sicut a multis doctis viris saepius expetitum et suasum est, in lucem edere, quemadmodum aliquot aliae Religiosorum Familiae iam praestant. Meum igitur esse duxi « Monumenta historica Societatis Iesu », quae, P. Ludovico Martin hortante et approbante, ante triginta annos eoque amplius in Hispania edi coepta erant, quaeque, generosa Hispanicarum Provinciarum collata opera, de Societate universa tam bene merita sunt, Romam transferre, quo impensius hunc laborem, omnibus Societatis Provinciis, ut par est, adiuvantibus, prosequi et urgere possimus: multa enim documenta, maxime ad antiquas nostras Missiones pertinentia, vulganda supersunt. Mens praeterea est « Archivum historicum Societatis Iesu », (aliove simili modo nuncupandum) scientificum periodicum inchoare, ad difficiliores nostrae historiae quaestiones plenius et efficacius tractandas. Neque praetermittere possum Congregationem Generalem XXVII^{am} mihi mandatum dedisse, ut « Historiam Societatis » et « Bibliothecam

(1) *Exerc. Spirit.*, Regula 6 (ex prioribus) de discern. spirit.

Scriptorum Societatis » edendas et continuandas curarem (1); itemque mihi commendasse ut consilium Opera maiorum nostrorum Scriptorum, praesertim theologica, philosophica et ascetica, in unum corpus colligendi et critica methodo edendi promoverem (2). Ad hunc finem iam agi coeptum est de nova editione Operum S. Petri Canisii et S. Roberti Bellarmino, illius a Patribus Germanicis potissimum, huius a Professoribus Universitatis Gregorianae curanda.

Ad haec omnia, ut facile intelligitis, Reverendi Patres, multa mihi auxilia, non modo pecuniae sed maxime aptorum virorum, ab universa Societate praestanda sunt: quae quidem auxilia, litteris ad omnes Provinciarum Praepositos die 11 februarii huius anni datis, Congregationis Generalis mandatis obediens enixe rogavi.

Ceterum, quae est mira erga famulos suos divinae pietatis dignatio, dum undique impetimur, pergimus undique, ut tribus ante annis iam dixi, vehementer expeti. Longe primas partes hac etiam in re semper tenet Summus Pontifex Pius XI, qui minimae nostrae Societatis opera continenter Se uti velle in bonum Ecclesiae clarissime ostendit. Sollemne huius paternae voluntatis documentum exstant Apostolicae Litterae « Quam maxime » Motu proprio die 30 septembris 1928 datae, quibus Institutum Biblicum (novis quibusdam privilegiis munitum) et Institutum Orientale, quamquam sui iuris esse pergunt, cum Universitate Gregoriana ita sunt consociata, « ut duae illae Facultates cum Facultatibus Gregorianis unam efficiant Pontificiam studiorum ecclesiasticorum Universitatem » (3).

Gregorianam vero Universitatem, ut nostis, Reverendi Patres, novae mox et ampliores excipient aedes, quae iam fere perfectae sunt et ineunte mense novembri sollemniter inaugurabuntur: hoc ipso anno scilicet, quo praeclarissimum illud Collegii Romani lumen, S. Robertus Bellarmino, ad supremos altarium honores conscendit. Huic autem praegrandi operi, vires nostrae omnino impares fuissent neque ei humeros supponere ausi essemus, nisi firma Beatissimi Patris voluntas, quae divinam voluntatem mani-

---

(1) Coll. Decr., d. 294.

(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1924, pag. 149, n. 7.

(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 38.

festabat, nos roborasset ad inchoandum, sustentasset ad perseverandum, adiuvisset ad perficiendum. Ei igitur prae omnibus benefactoribus novum aedificium iure adscribendum est, in quo Gregorianam Universitatem novum incrementum suscepturam esse speramus.

Aliud praeterea Pontificium Institutum in hac ipsa Urbe Societati commissum voluit Sanctissimus Dominus, Collegium inquam Russicum a Sancta Teresia ab Infante Iesu nuncupatum; cui suscipiendo varias ob rationes restiti equidem quantum, salva obedientia, mihi licuit, sed nunc, quamquam gravissimae etiamnum superandae erunt difficultates, firmiter speramus fore ut revera denuo confirmetur divinum illud: « Vir obediens loquetur victorias ». — Idem dicendum de difficili admodum Missione in Mesopotamiae seu Iraq urbe principe Bagdad, iubente Sancta Sede, mox inchoanda, scholas medias, quas vocant, quam primum aperiendo; quod quidem negotium Americanae Provinciae expediendum suscipient. — Nec silendum quod hoc ipso anno, cum optimo P. Ioanni Hagen aetate affecto, qui nuper pie in Domino obiit, alius sufficiendus esset in moderanda Specula Vaticana, non aliunde novum astronomum arcessendum curavit Summus Pontifex, sed omnino Patrem Societatis voluit (1); itemque alterum Patrem ad munus Directoris novae stationis « radio » Civitatis Vaticanae (2).

Supremi Ecclesiae Pastoris benevolentiam erga minimam Societatem Iesu vix non omnes pia aemulatione imitantur Episcopi, qui innumerabilia ministeria atque etiam novas domos condendas continenter nobis offerunt. Quod sane evidenter ostendit Societatem eiusque opera nostris quoque temporibus maxime apta esse, et benignissimum Dominum magna super nos pietatis habere consilia, nobisque ad gloriam suam et Ecclesiae bonum magis in dies uti velle, siquidem labores nostros Sibi gratos admodum esse per suum in terris Vicarium perque eos, quos « Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei », tam aperte declarat.

Inter opera, ad quae instantius postulamur, praecipuum quendam locum tenent ministeria pro clero; sive obiter praestanda, ut Exercitia Spiritualia etiam per mensem deducta et recollectiones

(1) Is est P. Ioannes Stein e Prov. Neerlandica.

(2) Is est P. Iosephus Gianfranceschi e Prov. Romana.

trimestres aut menstruae et id genus alia; sive stabili quadam ratione nobis commissa, ut Seminariorum regimen aut saltem (quod plerumque facilius admittendum est) munus Patris Spiritualis clericorum. Haec ministeria, cum huiusmodi sint quae, secundum normas a S. P. Ignatio in Parte VII Constitutionum (c. 2 D, E) traditas, universalioris ideoque divinioris boni spem faciant, cumque nunc prorsus cessaverint eae prudentes rationes, quibus olim Societas Seminariorum regimen minus gratum habebat, Societatis maxime propria sunt et ceteris paribus libentius amplectenda.

Ad Collegia autem quod attinet, quoniam fere ubique et antiqua incrementum in dies suscipiunt et nova construuntur aut saltem enixe exoptantur, et optimi inde fructus colliguntur ita ut non modo pii parentes, sed etiam ab Ecclesia alieni liberos nobis commissos velint, signum est nostram educandi rationem etiam nunc plurimi fieri. Quod quidem, etsi impellere nos debeat ad Collegia nostra magis magisque perficienda et ad temporum ac locorum necessitates prudenter accommodanda, praesertim ut in iis per Marianas potissimum Congregationes strenui efformentur duces illius Actionis Catholicae, quam Summus Pontifex tantopere urget ubique constituendam tamquam pacificum Ecclesiae militantis exercitum; simul tamen nos admonet nostram Studiorum Rationem, ubi servari adhuc potest, haud temere esse mutandam, nec facile praesenti innovandi libidini esse indulgendum.

Deo autem plurimae sint gratiae, quod cum tot tantisque operum incrementis (etsi non pari gressu cum novorum operum expetitionibus) etiam Sociorum numerus in dies augetur: quod quidem nobis solatio est, at simul, ut verbis Summi Pontificis utar, nos excitare debet ad severum candidatorum selectum faciendum.

Ceterum vos ipsi, Reverendi Patres, felicis huius Societatis incrementi et testes et documentum estis: nam haec sexagesima Procuratorum Congregatio Patrum Congregatorum numero anteactas omnes superat. Si vel solum cum superiore anni 1927 comparetur, adest nunc primum (sin minus re, cum sit morbo impeditus, saltem iure ad suffragium ferendum) Assistens Slavicus; adsunt trium novarum Provinciarum Procuratores e dissitis locis advecti: Cechoslovachiae, Chicagiensis, Brasiliae Meridionalis.

Quam vero Slavicam Assistentiam, facultate usus mihi a Con-

gregatione Generali XXVII olim facta, anno proximo tandem constituendam esse duxi, ei profecto Deus copiose benedicere visus est: nam eius Provinciae et Viceprovinciae, etsi bellicis ruinis insidere dici possint, feliciter in dies augentur, eo quoque sese extendentes, quo nunquam antea Societati ingredi permissum erat, ut Viceprovincia Iugoslaviae, quae nuper Belogradi in Serbia pedem fixit. In eiusdem Assistentiae Slavicae finibus lento quidem sed certo et continuo progressu florescit nostra Orientalis Missio, Provinciae Poloniae Maioris et Mazoviae commissa, et maxime eius Novitiatus Albertynensis ubi selecti iuvenes, ex desiderio atque etiam iussu Summi Pontificis, orientalem ritum fideliter servantes, in germanos S. Ignatii filios educantur, et, ut sperare licet, efficacissime dein ad Ecclesiarum unionem laborabunt. Quibus si addantur alii item orientali ritui in Pontificio Collegio Russico Romae et in Missione Rumaenica (Prov. Polon. Min.) addicti, iam nunc ad quinquaginta (e quibus 15 Patres) Iesuitae Orientales numerantur.

Ad reliquas Assistentias quod attinet, Assistentia Germaniae, Provinciis Slavicis deminuta, novas Provincias brevi forte creandas parat. Nam, ut nihil dicam de parte orientali Provinciae Germaniae Inferioris, cuius administratio proprio Viceprovinciali proxime commissa est, Lithuania mira quadam divinae benedictionis largitate fovetur: quae enim ante aliquot annos Societatem vix noverat, ea nunc florentissimum habet Collegium, duas Residentias, et praesertim Domum probationis cum selecto Novitiorum manipulo et certa complurium deinceps vocationum spe. Quod si hanc Societatis portionem in separatam Provinciam sui iuris secundum Constitutiones nostras erigere nondum potuimus, eam tamen non ita pridem religiosae Provinciae nomine et privilegiis secundum Codicem Iuris Canonici iam nunc insignitam esse, decreto die 19 martii huius anni dato et die 25 martii promulgato, sollemniter declaravimus.

In Assistentia Angliae, praeter Viceprovinciam Canadae Superioris, quae ad plenam Provinciae dignitatem assequendam properat, mox in Viceprovinciam independentem erigi poterit Missio Australiae. Atque ita Provincia Hiberniae, cuius curis in prosperum praesentem statum Missio Australiae adolevit, alteram sibi carissimam Missionem impensius in dies fovebit, abhinc paucos



CONGREGATIO PROCURATORUM LX (an. 1930)

1ª lin. sup.: PP. Rouffiac, Dillon, Vilallonga, Devillers, Hynes, Vukov, Creeden, Mundó, del Valle.

2ª lin.: PP. Mc Menamy, Lizardi, Tramontano, Durão, Carvajal, Lloberola, Misson, Riák, Bonduelle, Grund, Renaud, Alberti, Maher.

3ª lin.: PP. Nalbone, Tesio, Kreitmaier, Otting, Duane, Bourque, Kwiatkowski, Thurston, Sopuch, Filippi, Kösters, Lamers, Chauvin, Sánchez, Zartmann, Metzger

4ª lin.: P. Demaux-L., RR.PP. Welsby, de Boynes, v. Oppenraaij, **A. R. P. N. GEN.**, RR.PP. Boetto, Mattern, G. del Olmo, P. Tacchi Venturi.

annos Hongkong in Sinis inchoatam, quae mirum in modum inde ab initio florescere coepit.

In Assistentia Americae, post duas novas Provincias non ita pridem erectas, iterum saltem de administratione Provinciae Californiae dividenda, crescente in dies sociorum et domorum numero, agendum est. Quod idem fieri nuper debuit in vastissima Provincia Argentino-Chilensi; quamquam augmentum vocationum in America Meridionali multo lentius procedit quam in America Septemtrionali.

Verum etiam in Missionibus divinae liberalitatis vim clare sumus experti, quae, tot tantisque difficultatibus plus minusve ubique obnoxiae, tamen spiritualium fructuum segetem copiose serere, diligenter colere, et feliciter colligere potuerunt. Exemplo sit Missio Kwangensis Provinciae Belgicae, quae ante viginti circiter annos campus tam sterilis videbatur, ut vel impigerrimi Missionarii de ea rite excolenda vix non desperarent; nunc vero non modo plurimos catechumenos sed et floridas christianitates solide constitutas habet et iam optimum clerum indigenam serio parare coepit; merito igitur a Sancta Sede in Vicariatum Apostolicum recens evecta est.

Etiam in Indiis eadem Provincia Belgica generose, ut solet, Missiones suas iuvare et strenue excolere non destitit in tantum, ut anno 1927 nova Ranchensis Dioecesis a Sancta Sede erigi potuerit.

Madurensis vero Missio Provinciae Tolosanae, tantum profecit, ut ad Viceprovinciae dignitatem (etsi nondum plene sui iuris) ineunte anno 1929 evehi potuerit.

Ne quid de Missionibus Sinensibus repetam, quarum duae (Provinciae Legionensis altera, altera Provinciae Taurinensis) nuper in Vicariatus Apostolicos de Anking et de Pengpu nuncupatos erectae sunt, in Iaponia, post difficultates fere insuperabiles, potuit tandem Universitas Tokiensis et civilia iura acquirere et novae eiusque dignioris atque aptioris sedis primum lapidem ponere. Et quamquam multa adhuc desunt ad opus illud complendum, in quo Sancta Sedes tantam spem ponit pro illarum regionum ad Christum conversione, tamen spes est solidi incrementi.

Sed non vacat singulas commemorare Missiones, quas omnes apostolico spiritu florere gaudeo; ubique, etiam in minoribus Missionibus, secundum Sanctae Sedis hortationes, clerus indigena

studiose paratur, Seminariis aut ex novo erectis aut amplificatis et aptis magistris ac scholari supellectile rite instructis. Quin vocationes quoque indigenae ad Societatem studiosius in dies foventur, novis institutis probationis Domibus, ut in Missione Tananarivensi Provinciae Tolosanae non ita pridem factum est pro indigenis magnae illius insulae Madecassensis.

Praeterea, proximo hoc triennio, duas novas Missiones a Sancta Sede sibi commissas suscepit Societas: alteram in Columbia secus magnum flumen a Magdalena nuncupatum, a quo haec ipsa Praefectura Apostolica nomen mutuatur; alteram in Brasilia Centrali, Adamanteam dictam et in Praelaturam nullius, quae dicitur, erectam. Utraque magno cum animi ardore ab illis Societatis Provinciis suscepta est et studiose cultum iri speratur. — Complures vero aliae Societatis Provinciae ad Missiones proprias assequendas impense se parant, ut Provinciae Austriae, Hungariae, Canadae Inferioris, Californiae, in Sinas Missionarios iam nunc submittendo, itemque Provinciae Neapolitana, Sicula, Viceprovincia Iugoslaviae, in Indias.

Ceterum, quod fervens Missionum studium in universa catholica Ecclesia nunc, divino prorsus afflatu, mirum in modum flagrare videmus, idem profecto, ut decet, Societatis filios vehementer incendit: Nostri iuvenes praesertim, sed etiam provectioris aetatis Sodales, Missiones vel difficillimas ardenter exoptant, ut recens expertus sum, cum, post meas de miserrima Russiae condicione litteras, ad illam quandocumque iuvandam innumeras futurorum Missionariorum sponte se offerentium petitiones accepi.

Denique, etiam in rebus temporalibus divinae liberalitatis copiam experti sumus, centuplum a Christo Domino promissum, non solum in ordinariis vitae adiunctis, sed etiam ad maxima quaeque opera promovenda quotidie accipientes. Verum alicubi non defuerunt hac in re graviora quaedam damna perferenda; quae quidem facile, saltem magna ex parte, vitari potuerant, dummodo clarissima praescripta, quae de bonorum temporalium administratione in variis Instituti partibus atque etiam in Epitome habemus, studiosius servata fuissent.

En, Reverendi Patres, quaedam per hoc tempus a divina bonitate in Societatem collata beneficia, quae enumerando potius quam narrando vestros velut ante oculos posui.

Religiosae nostrae vitae fundamentum rursus tam sollemniter confirmatum, auctus magnopere caelestium Societatis Patronorum numerus, favor plane singularis Christi in terris Vicarii, Episcoporum, fidelium qui nostra ministeria expetunt liberosque nobis educandos committunt, externum quoque Societatis augmentum, persecutiones pro Nomine Iesu quibus in Domino gloriari possumus sicut vix alias: vere a Domino facta sunt ista et haud dubia sunt signa eius amoris eiusque magnae erga nos misericordiae. Quid igitur retribuemus Domino pro omnibus quae retribuit nobis?

Tantae dominicae liberalitati quid singuli Nostrum interne responderint, Ipse novit qui solus est Iudex, solus verax humani cordis Scrutator. At si etiam ii qui omnia fecerunt quae eis praecepta sunt, Domino hortante, dicere debent: « Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus » (1), quanto magis nos humiliari oportet!

Sed etiam humiles et cautos nos esse iubet prudens futurorum periculorum timor, eorum potissimum quorum occasiones etiam intra nos sunt. Etenim dum, Spiritu Sancto testante, Satanas « tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret », sine intermissione vigilandum nobis est, ne in Societatem quoque irrepant mundana quaedam principia et agendi rationes, quae ei magno detrimento esse possint et divinae in nos liberalitatis venam sin minus exsiccare, at saltem haud parum minuere.

Duo praesertim me sollicitum tenent, quae revera etiam Societati impendunt, nisi omnes, tam Superiores quam subditi, totis viribus illa a nobis repellere eo studiosius curemus, quo callidius nunc temporis haec pericula sub specie boni ipsis religiosae perfectionis fontibus insidiantur: spiritum dico independentiae et spiritum mundanum, quorum alter obedientiam alter abnegationem et virtutum soliditatem pessumdaret. Et sane etiam inter nos interdum audiuntur, qui Regulas vel sanctissimas tot saeculorum usu venerandas et nostrorum Sanctorum exemplis commendatas, sin minus obsoletas at saltem nostris temporibus minus aptas dictitare audeant, earum aestimationem certe apud se et apud alios valde minuentes. Sunt alii, praesertim inter iuniores Scholasticos et Patres, qui suam Regularum inobservationem aperte ex-

(1) Luc., xvii, 10.

cusare non vereantur, personales quasdem subiectivasque rationes praetexentes, ut puta hanc alteramve Regulam sibi suaeque spiritualitati non prodesse, aliam « evolvendae suae personalitati » (eorum verbis utor) potius obesse, aut generatim asserentes huiusmodi Regulas cum praesenti progressu componi non posse. Eadem subiectiva principia ad Superiorum consilia et mandata applicantur, Superiorum praescripta iudicum more apud se excutiendo, eorum utilitates perspectas habere exigendo antequam opere compleantur; quod si propriis commodis aut proprio iudicio sint contraria, difficultates innumerabiles praetexuntur, et murmurationes palam contra Superiores sparguntur.

Ad alterum quem dixi perniciosissimum mundanum spiritum pertinet externarum mortificationum et religiosae paupertatis minor aestimatio, non modo practica, sed etiam theoretica; quasi nempe illud quoque Dominicum obsoleverit: « Abnega temetipsum, tolle crucem tuam et sequere me »; quasi iam inter mediae aetatis exaggerationes sit amandanda Ignatiana illa regula duodecima: « Maius ac impensius studium cuiusque sit quaerere in Domino maiorem sui abnegationem et continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem »; illa regula, inquam, quae tantum iuvit ut ad insignis sanctitatis culmen post S. P. Ignatium pervenirent quotquot sub sanctissimi Nominis Iesu vexillo ipso duce olim militantes, nunc inter beatos Caelites veneramur.

Praeterire tandem non possum in aliquibus Provinciis etiam alterius erroris initia, praesertim inter quosdam iuniores, se manifestare coepisse, qui error haud raro aliqua ratione cum praecedenti coniungitur: falsum dico quendam mysticismum, quo qui sunt imbuti dictitare non verentur nimis rigidae asceseos principiis substituendam esse quandam doctrinam totam in amore fundatam, quae vix ullam vim naturae inferendam praescribat quaeque animam ad suavem cum Deo unionem recta ducat. Hac via facile se ad supremos christianae perfectionis gradus tendere putant, Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii ac totam fere ascesim Societatis minoris faciunt vel saltem reformandam esse putant, atque ita in diabolicas illusiones incidunt, cumque eorum virtutes solido careant humilitatis et abnegationis fundamento, primo tentationum vento misere corruunt, ut lugenda admodum experientia proh dolor iam nos docuit.

Haec mala, quae vividioribus forsan sed veracibus coloribus descripsi, Reverendi Patres, nondum, Deo favente, ad Societatem quod attinet, eo inter nos pervenerunt, ut, ne in una quidem Provincia, quodammodo generaliora inter iuniores (nam de iis fere unice agitur) dici possint; immo paucos solum attigerunt. Sed periculum profecto adest: perniciosus iste spiritus pervagatur mundum, eum cum aere (ut ita dicam) aspiramus, nec fieri potest quin mundano pulvere etiam religiosa corda sordescant; praeterea de principiis falsis agitur, quae non solum cor, sed intellectum quoque corrumpunt et ex natura sua in fine gravissima mala generare debent. Quapropter laudanda sane quarumdam Provinciarum sollicitudo, quae, ut e Postulatis videbitis, hoc periculum praesentissimum sentiunt, et pro suis iunioribus sodalibus materna pietate trepidare videntur: eas equidem ad tantum malum avertendum, quantum in me erit, adiuvabo. Sed ubique vigilandum est, ubique totis viribus laborandum, ut ne prima quidem harum falsarum opinionum germina in Societatem admittantur, aut certe statim penitus eradicentur. Superiores praesertim in id attentos oculos convertant; quos autem hoc morbo infectos deprehenderint, eos paterne sed fortiter, secundum aureas *Industriae* Patris Aquaviva curare nitantur et, si viderint eos Societati aptos non esse, cum caritate dimittant.

Ad id etiam iuvabunt Regulae sive singularum Sociorum classium, sive singulorum officiorum, aliaeque Instituti partes, quas ex mandato Congregationis Generalis XXVII recognoscendas et ad novas rerum temporumque rationes aliquantulum accommodandas suscepi. Fateor equidem non sine magno dolore me id laboris diutius, pro virium mearum tenuitate, differre debuisse, et vix aliud, inde a superiore Procuratorum Congregatione, hac in re editum esse nisi libellum « Elenchus praecipuarum Facultatum », quem nuper promulgavimus, et Regulas Coadiutorum temporalium, quarum textus latinus ad omnes Provincias non ita pridem missus est et vulgatae versiones ubique nunc ipsum parantur. Sed aliarum quoque Regularum recognitionem eo iam, Deo adiuvante, perducere potui, ut firmam spem habeam fore ut ante finem huius anni cum universa Societate communicari possint.

Haec sunt, Reverendi Patres, quae de praesenti Societatis

statu, sive bona sive mala, sive spei sive timoris plena, pro meo officio vobis candide referenda esse putavi. Ceterum pleniores de his omnibus informationes, secundum Formulae praescripta (nn. 15-19), per hos dies vicissim petetis et excipietis, quibus coram Deo collatis clarum vobis iudicium efformare poteritis, ut secundum conscientiam decernatis utrum Congregatio Generalis cogenda sit necne, habitis ante oculos sapientibus Instituti normis, quae succinte et clare in n. 18 Formulae Congregationis Procuratorum exponuntur.

III.

ALTERA PATRIS NOSTRI ADHORTATIO AD PATRES PROVINCIARUM PROCURATORES

(30 sept. 1930).

Lato decreto, quod nostri conventus ratio est praecipua, Congregationem Generalem non esse cogendam, meum est, secundum Formulae praescripta (n. 27), antequam Congregatio solvatur, ea commendare « quae ad commune Societatis bonum expedire » iudicaverim. Id autem mecum ipse diu multumque cogitanti et divinum lumen instanter imploranti, mihi visum est hac uti tam sollemni occasione, ut per Provinciarum Procuratores universae Societati unum etiam atque etiam commendem, id est ut sanctam obedientiam intemeratam prorsus et nativo splendore exornatam semper servemus, qualem S. P. Ignatius in Constitutionibus descripsit ac dein in pulcherrima de obedientia epistola luculenter exposuit.

Neque id profecto cuiquam supervacaneum videri potest. Nam, quamquam iam inde ab humani generis exordiis post lugendum protoparentum lapsum mundanus spiritus semper hanc virtutem est aversatus, id tamen nostris temporibus singulari prorsus ratione et vehementius quam alias (sine amplificatione dico) fieri cernimus: quin etiam tantillos pueros videmus, qui, vix dum rationis participes se sentiunt, cuiusvis freni impatientes, ausu

antcactis saeculis penes christianas gentes fere inaudito, ipsam paternam auctoritatem, in filiorum corde natura tam alte firmatam, a se excutere conantur. Verum igitur et magnum adest periculum ne hic rebellionis spiritus non modo christianas familias inficiat, sed in ipsas religiosas Congregationes irrepat.

In prima adhortatione iam tetigi, Reverendi Patres, quam sollicitum me teneat hic independentiae spiritus, qui huc illuc etiam inter nos serpere incipit: sed nunc paulo fusius de hoc periculo vobiscum agere volo, quo fortius et efficacius tanti mali principiis obstemus.

* * *

Et in primis valde iuvat morbi huius naturam et notas investigare, quales apud Nostros apparere possint: non enim, quae est diabolica calliditas, in hominibus religiosis sub eodem aspectu neque eiusdem gravitatis atque in assiduis mundi asseclis sese revelat. Apud nos igitur spiritus independentiae is erit, qui non quidem, ut patet, ad auctoritatem contemnendam neque ad ei rebellandum perveniat, sed qui practice a paterna Superiorum auctoritate sensim sine sensu omnem fere nostram vivendi atque agendi rationem subducat; ita ut, qui beneficus obedientiae influxus secundum S. P. Ignatii spiritum et monita ad totam vitam nostram et singulas paene actiones sese extendere deberet, is contra ad minimum quid reducatur.

Et sane ii qui (plerumque ne ipsis quidem id statim plene advertentibus) ita procedunt, a propria vita spirituali initium facientes, sincerum illud ante omnia amittunt desiderium a S. Patre Nostro tantopere commendatum, quo Patribus spiritualibus et Superioribus « totam animam suam integre manifestam esse pergratum habeant... voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent; nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum iudicio illorum, quos Christi Domini nostri loco habent » (Summ. reg. 41). Hi contra per se ipsi se regere volunt; atque ita inveniuntur vel iuniores Scholastici, qui se satis in rebus spiritualibus expertos autumantes nullius ductu se indigere putant, aut ad summum directores sibi eligunt quos sibi aptiores existimant, non eos quos Superiores ad id munus designaverant.

Idem atque etiam maior independentiae spiritus in laboribus et occupationibus seligendis apparet, e quibus quisque ea, quae proprio ingenio magis respondent, tam studiose assumere conatur,

ut vix relinquatur Superiorum delectui locus. Et tamen etiam hi qui tam inordinate Superiorum voluntatem ad suam detorquere nituntur, singulis mensibus in epistola S. P. Ignatii Sanctum Bernardum audiunt proclamantem: « Quisquis vel aperte vel occulte satagit ut, quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis Pater iniungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipse Praelato, sed magis ei Praelatus obedit ».

Semel vero assignato aut potius tali ratione assumpto officio, maxima volunt in eo exsequendo uti libertate, nulla (aut minima quae fieri possit) reddita Superioribus ratione; quin etiam in malam partem accipiunt et vix non offenduntur, si quis Superior, sui officii memor, debitam de eorum laboribus rationem sibi reddi exigat.

Alterum huius spiritualis morbi signum est Superiorum praescripta ad trutinam vocare, non quidem identidem ex humana quadam fragilitate, sed passim et quasi iure quodam sibi tributo discutiendi num forte Superior officii sui fines transgrediatur, num eius ordinationes rectae sint necne; quod quantum distet a perfecta illa voluntatis atque etiam iudicii obedientia multoque magis a sanctissima illa obedientia caeca, quam S. P. Ignatius cum omnibus vitae spiritualis magistris tantopere extollit, nemo est qui non videat. Nam, dum ii, qui prudentia Christi ducuntur, ut prompte sponteque obediant, satis habent ut res praeceptae cum peccato manifesto coniunctae non sint, hi contra, quos dixi, vix non exigunt ut res ipsae evidenter sanctae et utiles sin minus necessariae sibi appareant antequam ad eas exsequendas sese accingant.

Eadem ratione eodemque cum independentiae spiritu nonnulli ad suum privatum tribunal revocant etiam Societatis Constitutiones et Regulas, quibus omnes tam Superiores quam subditi tenentur, quaeque proinde, ab Ecclesia approbatae, iure meritoque ad obedientiam pertinent. Ex his autem Instituti praescriptis, quae proprio iudicio sibi utilia videntur assumunt, quae sibi non probantur reiiciunt, dictitantes ea non iam nostris temporibus esse accommodata, aut saltem aliis forte etiam nunc bona esse at certe non sibi. Atque ita « amore sui obcaecati » (1) in sua cogitandi et agendi ratione sese confirmant.

(1) S. P. Ignatius, *Epist. de obed.*, n. 8.

Inimicus autem generis humani, qua est astutia, conscientias horum sodalium tranquillas reddere curat, fallaci praesertim hoc argumento eos illusos tenens, velle se magna pro Dei gloria perficere, et talentis, quae Deus sibi largitus sit, plene uti ad salvandas animas, ac propterèa se non posse ductui eorum se subiicere, a quibus non intelligantur et non modo ad progrediendum in via Domini ab iis iuvari non possint, sed potius impediantur, per eosque talenta sua misere pessumdentur. Facile etiam huiusmodi sodales putant se solos optime perspicere rerum momentum et rationem, qua in varia sua officia et labores incumbere debeant; sibique persuadent Superiores quidem immediatos ad ipsos regendos non esse aptos, Superiores vero mediatos, quippe qui longius absint, etiamsi apti essent, non posse verum sibi iudicium de his rebus efformare.

Perspectum sane omnes habemus, Reverendi Patres, quantum periculi ac detrimenti in falsis his principiis se abdat: quae si (quod Deus avertat!) in Societatem irrepant et diffundantur ita ut pedetentim plurimos e Nostris inficiant, Societas profecto non iam ea esset, quam S. P. Ignatius atque adeo Ecclesia ipsa voluit et fecit. Initiis igitur obsistendum est fortiter, ne sero medicina paretur. Et quamquam notissima quaeque dicturus sum, practica quaedam efficaciora media indicabo quae ad hoc malum a Societate avertendum aut certe, sicubi coeperit radices agere, radicitus evellendum iuvare poterunt.

* * *

Primum sit quaslibet opportunas occasiones studiose arripere, ut omnibus Nostris, potissimum autem Scholasticis, qua communibus concionibus qua privatis alloquiis, in memoriam redigatur totus splendor et valor virtutis obedientiae, qua humana libertas non modo non deprimitur, sed potius in sublime exaltatur. Et ratio et fides nos docet voluntatem nostram undequaque imbecillam esse atque ad malum proclivem, et, si sibi relinquatur, facile variis cupiditatibus obcaecari; unam vero Voluntatem exsistere omnipotentem, infinite sapientem infiniteque non Sibi modo sed etiam nobis bonam, cuius erit absolutus aeternusque triumphus, Dei scilicet voluntatem sanctissimam et semper adorandam. Et quoniam cum hac Voluntate, ratione ipsa impellente, intime uniamur oportet, si eius bonitatis et felicitatis participes esse velimus, quam magnum, Reverendi Patres, nos religiosi habemus bene-

ficium, quod saeculares vel eximiae virtutis viri sancte nobis invident, ut huic sanctissimae Voluntati per obedientiam semper artissime simus coniuncti: nostra enim obedientia non est exterior quaedam rerum praescriptarum exsecutio humano intuitu praestita, sicut plerumque est inter mundi asseclas, sed obediendo Superioribus humanis, illum in iis intuemur (ut nos docet S. P. Ignatius), « propter quem et cui in omnibus obedimus, qui est Christus Dominus » (1). « Atque ita, — ut eiusdem Beati Patris Nostri verba mihi vobisque accommodem, — si non hominem externis oculis, sed Deum inspexerimus internis, haud sane grave fuerit nobis, voluntates nostras atque iudicia conformare ad eam regulam actionum nostrarum, quam ipsimet elegimus » (2).

Inimicus humani generis primos parentes nostros misere perdidit, iis falsam spem iniiciendo fore ut fierent « sicut dii » (3). Nos vero per eorum superbiam in servitutem peccati redacti sumus, siquidem peccatum, non libertas, at dura servitus dici debet; contra servire Deo non libertas modo, sed regnare est. Hi ergo, quos falsae independentiae fuco illusos dixi, non aliis liberiores sunt, at potius suae ipsorum imbecillae voluntatis servi, suasque vires misere pessumdant atque in ruinam, ni resipiscant, vix non certo praecipites cadent.

Haec tam solida fidei principia, si saepe, si opportune in mentem redigantur, vix fieri potest quin omnes obedientiam maximi faciant et ab ea in omnibus se regi exoptent. Si de omnibus Christifidelibus dictum est aut saltem dici posse deberet: « Iustus meus ex fide vivit », quanto magis nos, Reverendi Patres. qui perfectioni evangelicae studere profitemur, nos potissimum, qui Iesu nomine gloriamur et Ignatium, eximium obedientiae praeconem, patrem ac magistrum veneramur, id assequi nitamur oportet, « aspicientes in Auctorem fidei et Consummatorem Iesum » (4). Primum quod Spiritus Sanctus a Verbo Incarnato in mundum ingrediente factum commemorat, hoc est: « Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam » (5). Et sane, natus extra domum maternam ex obedien-

---

(1) *Summar. Const.*, reg. 38.
(2) *Epist. de obed.*, n. 16.
(3) *Gen.*, III, 5.
(4) *Hebr.*, XII, 2.
(5) *Hebr.*, X, 7.

tia, in Aegyptum obediens fugit et inde obediens rediit, ac legibus quibus non tenebatur generosa obedientia sese subiecit. Eius vitam Nazarethana in domo per triginta annos abditam omnes novimus compendiose describi his paucis verbis: « Et erat subditus illis » (1). Apostolicos labores, doctrinam sublimem, miracula, totam demum Suam vitam publicam divinus ipse Magister huc refert: « Quae placita sunt ei [Patri] facio semper » (2); « Oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum » (3). Quin et modum nuntiandi hoc regnum Dei sibi a Patre praescriptum fideliter servavit, non loquens turbis sine parabolis « ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum » (4). Nec quievit Dux noster supremus et Rex, donec, completis omnibus quae de ipso scripta erant, dicere potuerit: « Consummatum est » (5). Immo, sicut ingrediens in mundum statim suam perfectissimam erga caelestem Patrem obedientiam professus est, ita etiam in atrocissimae mortis tormentis, Patris mandati memor, illud « consummatum est » non protulit donec illud ineffabile « Sitio » pronuntiasset, ut per prophetas de eo praedictum erat: vere « factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (6). Num fieri potest, Reverendi Patres, ut Societatis filii, Iesu Socii, haec scientes, haec recogitantes, haec serio meditantes, obedientiam toto corde non amplectantur in eaque excellere non cupiant? Qui aliter sentirent, nonne modicae fidei dici deberent? ad quorum fidem excitandam eamque ad pristinum robur reducendam profecto utilissimum erit aliquot de admirabili Christi obedientia meditationes sincera mente et seria voluntate instituere.

Domestica autem nobis non desunt exempla, quibus divina Christi obedientia ad nostram vitae rationem accommodata imitanda proponantur. Meminerimus heroicam Sancti Francisci Xaverii obedientiam, qua tantum fidebat Sanctus Parens Noster, ut

---

(1) Luc., II, 51.
(2) Ioan., VIII, 29.
(3) Luc., IV, 43.
(4) Matth., XIII, 35.
(5) Ioan., XIX, 30.
(6) *Philip.*, II, 8.

eum e mediis Indici apostolatus laboribus Romam revocare se posse non dubitaret, unico misso verbulo « I ». Indefessum hunc Indiarum atque Iaponiae Apostolum scimus non solum dum in Europa vivebat sed etiam in dissitis quibusque locis, etiam Superioris atque adeo Legati Apostolici munere fungens, obedientiae directionem et ardenter exoptare et enixe petere et acceptam fideliter exsequi solere. Meminerimus Sanctum Ioannem Franciscum Regis et Sanctum Franciscum de Hieronymo, insperato Superiorum iussu recepto, vel fructuosissimas Missiones imperfectas reliquisse, ut in Collegia grammaticam docturi aliove minore ministerio functuri se reciperent. Meminerimus Beatum Petrum Fabrum, qui vitae sacrificium (ut in eius Missa legimus) ex obedientia Deo obtulit; quem plurimi alii, varia quidem ratione, sed eodem germano Ignatii Patris spiritu imbuti, sunt imitati. Et ne notissima quaeque de Sanctis regularum nostrarum observatione insignioribus recolam, meminerimus Sanctum Ioannem de Brébeuf, qui perpetuis mortis periculis obnoxius, durissimam inter Hurones vitam agens, hoc unum sibi cordi esse dicebat, ad hoc unum se aptum esse sentiebat, hoc unum optabat, ut semper et in omnibus ab obedientia regeretur tamquam a matre imbecillus puer; et Superiorum iudicio omnia sua vel sanctissima desideria subiiciebat, iisque moderanda relinquebat heroica illa vota, quibus perfectiora semper se electurum atque etiam se a gratia martyrii non retracturum spoponderat.

Ceterum sanctitas quaevis, ubicumque demum inveniatur, obedientiae nota insigniri debet, ut vera sit et vera agnoscatur: etiam antiquis Sanctis eremi incolis, qui, nullos Superiores religiosos proxime habentes, sibimetipsis quodammodo videbantur relicti, hoc sollemne habebant, ut in obedientia erga seniores quaererent certum signum divini Spiritus aliquem per singulares quasdam atque inusitatas sanctitatis semitas ducentis: nec est cur Rodericium nostrum assidue legentibus in memoriam redigam notissimum S. Simeonis Stilitae exemplum. Idem omnes asceseos atque sanae mysticae disciplinae magistri docent; idem, quod magis est, Sancti omnes divinis charismatibus insignes mira sua, etiam dum divina patiebantur, obedientia commendant: non ita pridem, ut unum afferam, in festo S. Iosephi a Cupertino legimus solam obedientiam eum ab exstasi revocare posse: « hanc quippe virtutem, — subdit Ecclesia, — eximio studio proseque-

batur, dicere solitus se ab ea veluti caecum circumduci, et mori potius velle quam non obedire » (1).

Qui quidem Sanctus aliud quoque exemplo suo nos admonet, id est quot quantaque mira compleat huiusmodi obedientia ex fide: nam, parvo admodum cum esset ingenio praeditus, et litterarum humanarum paene expers, ita ut sacerdotio solum ex clara divina dispositione id volente insigniri potuerit, multo plus tamen quam plurimi alii doctiores in bonum animarum, obedientia duce, praestitit. Idem compluribus aliis Sanctorum fastis comprobatur; quin et nos ipsi quotidiana fere experientia quasi manu tangimus, quanta perficere possint vel modestissima quaeque talenta, dummodo plene a Superioribus, quicumque illi sunt, regi sinantur. Accedit quod, qui ita procedunt, magna semper et dulcissima illa fruuntur pace « quam mundus dare non potest ». Alii contra, qui sibi duces esse volunt, non modo hac pace privantur, sed etiam exterius non talia agunt (ut minimum dicam), qualia eorum talenta promittere videbantur.

Haec, quae a Superioribus ad obedientiae virtutem roborandam praestanda esse commemoravi, spiritualia quaedam sunt medicamenta, quibus plerique ad pristinam animae sanitatem, ut firmiter spero, revocari poterunt. Quae tamen si non sufficiant, si morbus altiores in aliquo radices egisse deprehendatur, meminerint Superiores se patres esse, et paterne quidem sed fortiter, ubi opus est, auctoritate sua uti debere. Fateor equidem hac in parte in quibusdam Provinciis aliquid desiderari; et, quod periculosius est, etiam haec Superiorum debilitas e falso quodam principio emanare: quasi « mentalitati » (quam vocant) huius temporis nonnihil profecto indulgendum sit, nervorum debilitati qua complures nunc laborant, aliquid sit concedendum; timent praeterea in peius adactum iri huiusmodi sodales, si rigidius cum iis ageretur. Falsi sane timores! nam ubique videmus, si paterna quaedam severitas inde ab initio adhibetur, eam plerumque optatum effectum sortiri, et ita multas vocationes sartas tectas servari; e contra falsam illam indulgentiam non unum perdidisse, quem demum e Societate dimittere debuimus. Idem dicatur de subditorum sanitate, cuius quidem maxime solliciti sint oportet Superiores, verum ne putent prudentem quandam severitatem, qua non

(1) *Brev. Rom.*, 18 sept., lect. V.

omnia ab aegrotis mentibus excogitata concedantur, valetudini nocumentum esse allaturam.

* * *

Ad hoc suave obedientiae iugum laeto animo ferendum, ad haec difficiliora Superioris officia erga aegrotas subditorum mentes praestanda, nobis pro cuiusque munere excitamento sint, Reverendi Patres, maximae praesentes Ecclesiae necessitates, gravissima animarum pericula, maius dilectissimae nostrae Societatis bonum procurandum; exemplo demum nobis sint ipsi acerrimi Ecclesiae hostes, cum semper verum sit « filios huius saeculi prudentiores esse filiis lucis in generatione sua » (1).

Nunc quidem multa ac mira in cordibus Christifidelium, iuniorum maxime, suaviter operatur omnipotens gratia Dei, et evidens Spiritus Sancti afflatus plurimas animas ad meliora charismata aemulanda invitat; sed etiam Satanas satellites suos congregat et impellit, sicut vix alias visum est, suumque virus ubique spargit, nulla orbis terrarum plaga immuni relicta, ita ut Ecclesiae ubique graves molestiae atque adeo vehementiores perturbationes non immerito timendae sint.

Quo efficacius possit Societas, pro sua virium tenuitate, in tantis necessitatibus humile Ecclesiae praebere auxilium, necesse prorsus est, Reverendi Patres, ut, quemvis vitae et operum individualismum (sit venia verbo), qui nostras vires dispergendo debilitat, generoso animo deponamus, et arctius in dies invicem uniamur: subditi cum Superioribus immediatis in quibus vividae fidei oculis Christum Dominum intueantur; Superiores locales cum Provinciali; Provinciales cum Praeposito Generali, qui, quantum in se est, cum primo nostro Superiore, Summo Christi in terris Vicario, mente et corde intime unitus esse conatur. Ita concordes, sanctissimo Nominis Iesu vexillo contra hostes sublato, fortiter praelia Domini praeliabimur, et certarum victoriae promissionum, quibus roboratur Ecclesia Christi, copiose participes erimus.

Id profecto sacrificia nec pauca nec minima exiget; sed sine sacrificio, sine cruce, neque unio neque victoria haberi potest. Ceterum omnes Societatis filii, qui Iesu nomine digni esse velint, qui Sanctorum se filios esse meminerint, sacrificium sane non timent, maxime cum per illud ad maiorem Dei gloriam et ad re-

(1) Luc., XVI, 8.

gnum Christi magis magisque amplificandum aliquid se collaturos sperent.

Faxit Deus ut dum Societatis filii per singulos annos augentur numero, etiam merito semper augeantur, ut pacificus hic militum Christi manipulus ad multa patranda multosque perferendos labores ad minimum obedientiae nutum semper praesto sit. Amen.

IV.

ACTUS CONSECRATIONIS
CORAM SS. CORDIS IESU MONUMENTO
NOMINE TOTIUS SOCIETATIS
A PATRE NOSTRO RECITATUS (1)

(29 septembris 1930).

Domine Iesu benignissime, qui unice infinita bonitate Tua impulsus, minimae huic Societati Tuo Nomine insignitae gloriosum munus peculiari quadam ratione committere dignatus es cultum et amorem erga dulcissimum Cor Tuum per totum orbem propagandi, humiles excipe gratias, quas hic, universae Societatis nomine, nos, eiusdem Societatis Iesu personam ex officio gerentes, toto corde ob tantum beneficium Tibi agere volumus.

En nos ad Tuum hoc simulacrum convenimus, quod Societas ad maius Tuum obsequium in summis Praepositi Generalis aedibus erigendum curavit. Firmam autem fovemus spem fore ut ex hoc glorioso throno, pro Tua in nos infinita bonitate, hanc domum quin etiam omnes Societatis domos benevolis semper oculis respicias easque, in perpetuam clientelam susceptas, ut Tuas semper custodias; toti vero Societati ad regnum Tuum amplificandum in quavis mundi plaga laboranti novas vires in dies infundere digneris, dulcissimis illis verbis semper eam confortans: « Salus tua Ego sum ».

---

(1) Cfr. supra, pag. 483.

Aequum profecto erat, o benignissime Iesu, nos, quos ineffabilium Cordis Tui divitiarum, ut eas quaquaversus effundendas curaremus, copiosius participes fieri voluisti, nos, inquam, hunc singularem qualemcumque honorem, signo Cordis Tui in mundum elato, Tibi publice exhibere. At simul cum actione gratiarum exteriorisque hac venerationis significatione, volumus praeterea, universa Caelesti Curia de caelo nos intuente, testibus potissimum Beatissima Virgine Maria Matre Tua cum Sancto Patriarcha Ioseph ac Sancto Patre Nostro Ignatio cum B. Claudio de la Colombière, totius Societatis nomine, sollemnem iterare promissionem, qua olim Societas, laeta et grata dulcissimum mandatum sibi commissum de ore Tuo suscipiens, se illo munere fideliter et strenue et toto cordis ardore functuram spopondit.

Tu vero, o Iesu benignissime, pro Tua immensa bonitate, copiosiores gratias ad hoc mandatum exsequendum in Societatem Tuam quotidie effundere digneris, ut Tuo spiritu Tuique amoris igne semper incensa, ad maiorem Dei gloriam in toto orbe procurandam etiam atque etiam indefessa laborare perseveret.

Fac ut nos omnes, quibus sub vexillo Tuo Nomine insignito militare dedisti, pro Te uno semper vivamus, qui solus es Vita vera; immo etiam, divinum Tuum beneplacitum semper et in omnibus adimplentes, in Corde Tuo semper vivamus, ut revera, coram Aeterno Patre Tuo, digni inveniamur, qui fideles Cordis Tui discipuli strenuique apostoli et nominemur et simus. Amen.

℣. Cor Iesu, flagrans amore nostri.
℟. Inflamma cor nostrum amore Tui.

OREMUS.

Deus qui nobis, in Corde Filii tui, nostris vulnerato peccatis, infinitos dilectionis thesauros misericorditer largiri dignaris: concede, quaesumus; ut illi devotum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium. Per eumdem Christum.

V.

CHRONICON CONGREGATIONIS PROCURATORUM LX[ae]

ANNO 1930 HABITAE.

10 oct. 1929. — In commodum quarundam Provinciarum, praesertim Americae Latinae, quae id petierunt quo aptius tempus ad Congregationem Provincialem habendam seligere possint (annus enim scholaris ibi mense februario aut martio incipit), non iam in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., ut a multis annis plerumque fieri solebat, sed hodie, in festo S. Francisci Borgiae, Pater Noster litteras ad omnes Provinciarum Praepositos dat, quibus Congregatio Procuratorum in diem 27 septembris proximi anni 1930 indicitur (1).

Ianuario-augusto 1930. — In omnibus Provinciis tempestive pro locorum distantia rerumque ratione habitae sunt Provinciales Congregationes ad Procuratores eorumque Substitutos eligendos. — Gratum erit harum electionum exitum hic prae oculis habere, addito etiam munere quo quisque Procurator, dum electus est (2), fungebatur.

PP. Procuratores eorumque Substituti in Congregationibus Provincialibus electi.

1) PROV. ROMANAE — *Proc.*: P. Petrus Tacchi Venturi, *Script.* (*olim Secret. Societ.*).
Substit.: P. Augustus Spinetti.

2) » ANGLIAE — *Proc.*: P. Herbertus Thurston, *Script.*
Substit.: P. Henricus Davis.

3) » ARAGONIAE — *Proc.*: P. Iosephus Mundó, *Viceprov.* (3).
Substit.: Raimundus Crexáns.

---

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 343-355.

(2) Mutationes, perpaucae eae quidem, quae post Congregationes Provinciales usque ad Congregationem Procuratorum in officiis quorundam Procuratorum factae sunt, singulae in nota indicantur.

(3) Cum esset Viceprovincialis temporarius absente Provinciali, vocem pas-

4) Prov. Argent.-Chil. — *Proc.*: P. Raimundus Lloberola, *Rect. Sem. Pont. Bonaerensis* (*olim Praepos. Prov. huius et etiam suae Prov. Arag.*).
Substit.: P. Aloisius Canudas.

5) » Austriae — *Proc.*: P. Iosephus Metzger, *Rect. Coll. Max. Oenipont.*
Substit.: P. Franciscus Hatheyer.

6) » Baeticae — *Proc.*: P. Emmanuel Grund, *Lect. theol. in Coll. Max. Granatensi* (1).
Substit.: P. Carolus Gálvez.

7) » Belgicae — *Proc.*: P. Iulius Misson, *Viceprov. in regione merid.* (2).
Substit.: P. Augustus De Villers.

8) » Brasiliae Merid. — *Proc.*: P. Franciscus Xav. Zartmann, *Prof. in Coll. Florianopolit.* (*olim Super. reg. Missionis Brasil. Merid.*).
Substit.: P. Ludovicus Zuber.

9) » Californiae — *Proc.*: P. Franciscus C. Dillon, *Super. Resid. S. Ignatii apud Indos* (*olim Praepos. Prov.*).
Substit.: P. Zachaeus Maher.

10) » Campaniae — *Proc.*: P. Aloisius Bonduelle, *Super. Resid. Nanceianae* (3) (*olim bis Praepos. Prov.*).
Substit.: P. Iosephus Cotteau de Simencourt.

11) » Canadae Inf. — *Proc.*: P. Henricus Bourque, *Praef. spir. in Coll. S. Bonif.*
Substit.: P. Adelardus Dugré.

12) » Castellanae — *Proc.*: P. Gabriel Vilallonga, *Praepos. Dom. Prof. Bilbaensis* (*olim Praepos. Prov.*).
Substit.: P. Antonius M. Arregui.

13) » Cechoslovachiae — *Proc.*: P. Methodius Rihák, *Prof. in Coll. Pragensi* (*olim Praepos. Prov.*).
Substit.: P. Iosephus Lepka.

---

sivam habebat, secundum Form. Congr. Prov. n. 24, 1°; ceterum paulo post suam in Procuratorem electionem, novo Provinciali renuntiato, ipse Socii munus iterum assumpsit.

(1) Paulo post designatus est Superior Residentiae Granatensis.

(2) Cum sit Viceprovincialis a Provinciali dependens, vocem passivam in Provincia omnino habebat non secus ac alii Professi.

(3) Paulo post suam in Procuratorem electionem ad regendam Residentiam Insulanam Immaculatae Conceptionis translatus est.

14) Prov. Chicagiensis — *Proc.*: P. Bernardus I. Otting, *Lect. theol. in Univ. Sancti Ludovici.*
Substit.: P. Ioannes P. McNichols.

15) » Columbianae — *Proc.*: P. Gabriel Lizardi, *Rect. Coll. NN. «La Merced».*
Substit.: P. Iosephus Salv. Restrepo.

16) » Franciae — *Proc.*: P. Romualdus Devillers, *Mag. Novit. (olim Praepos. Prov.).*
Substit.: P. Iulius Auriault.

17) » Germaniae Inf. — *Proc.*: P. Ludovicus Kösters, *Prof. in Coll. Francofurtensi (olim: Praepos. Prov., Visitator Prov. Legionensis).*
Substit.: P. Ferdinandus Ehrenborg.

18) » Germaniae Super. — *Proc.*: P. Iosephus Kreitmaier, *Super. Dom. Scriptor. Monachiensis.*
Substit.: P. Theobaldus Fritz.

19) » Hiberniae — *Proc.*: P. Martinus Maher, *Mag. Novit.*
Substit.: P. Ioannes McErlean.

20) » Hungariae — *Proc.*: P. Ioannes E. Vukov, *Rect. Dom. prob. et Mag. Novit.*
Substit.: P. Eugenius Somogyi.

21) » Legionensis — *Proc.*: P. Henricus Carvajal, *Praepos. Viceprov. Cubanae* (1) (*olim: Praepos. Prov. huius et Castellanae, Secret. Societ., Visitator Provv. Siculae, Toletanae, Baeticae, Lusitanae).*
Substit.: P. Dalmatius Valbuena.

22) » Lugdunensis — *Proc.*: P. Aloisius Chauvin, *Super Resid. Massiliensis (olim bis Praepos. Prov.).*
Substit.: P. Aloisius Rosette.

23) » Lusitanae — *Proc.*: P. Paulus Durâo, *Rect. Coll. Max. Oyensis* (2).
Substit.: P. Emmanuel Rebimbas.

24) » Maryland. - N. E. — *Proc.*: P. Gulielmus I. Duane, *Rect. Coll. Fordhamiensis* (3).
Substit.: P. Thomas A. Becker.

---

(1) Cum sit Viceprovincialis a Provinciali dependens, vocem passivam in Provincia omnino habebat non secus ac alii Professi.

(2) Paulo post suam electionem in Procuratorem, ad regendum Collegium Guardiense translatus est, illius Collegii et Convictus Rector die 8 sept. renuntiatus.

(3) Paulo post electionem in Procuratorem, a Rectoris munere cessavit.

25) Prov. Mexicanae — *Proc.*: P. Henricus del Valle, *Rect. Coll. Max. et Dom. probat. Ysletensis.*
Substit.: P. Iosephus Mier y Terán.

26) » Missourianae — *Proc.*: P. Franciscus Xav. McMenamy, *Instr. tert. probat. (olim Praepos. Prov.).*
Substit.: P. Carolus H. Cloud (1).

27) » Neapolitanae — *Proc.*: P. Raphael Tramontano, *Rect. Coll. Max. Neapolit.*
Substit.: P. Ioannes Casiello.

28) » Neerlandicae — *Proc.*: P. Gerardus Lamers, *Rect. Coll. NN. Neomagensis.*
Substit.: P. Everardus Beukers.

29) » Neo Aurelianensis — *Proc.*: P. Ioannes G. Hynes, *Praef. stud. in Univ. Neo Aurelianensi.*
Substit.: P. Ioannes M. McCreary.

30) » Novae Angliae — *Proc.*: P. Ioannes B. Creeden, *Lect. psychol. in Coll. Bostoniensi.*
Substit.: P. Ioannes M. Fox.

31) » Poloniae Mai. et Maz. — *Proc.*: P. Stanislaus Sopuch, *Super. Resid. Lodziensis (olim Praepos. Prov.).*
Substit.: P. Boguslaus Maczka.

32) » Poloniae Minoris — *Proc.*: P. Franciscus Kwiatkowski, *Lect. theol. in Coll. Max. Cracoviensi.*
Substit.: P. Michael Barglewski.

33) » Siculae — *Proc.*: P. Franciscus de Paula Nalbone (*olim: Praepos. Prov., Italiae Assistens, Visitator Prov. Romanae*).
Substit.: P. Paschalis Borrello.

34) » Taurinensis — *Proc.*: P. Albertus Filippi, *Rect. Coll. Taurin.* (2).
Substit.: P. Rochus Zola.

35) » Toletanae — *Proc.*: P. Valentinus M. Sánchez, *Oper. (olim Super. regul. Miss. Peruvianae).*
Substit.: P. Felix Garcia Polavieja.

36) » Tolosanae — *Proc.*: P. Edmundus Rouffiac, *Super. Resid. Monspeliensis (olim Praepos. Prov.).*
Substit.: P. Ferdinandus Cavallera.

---

(1) Paulo post suam electionem in Substitutum Procuratoris, renuntiatus est Praepositus Provinciae Chicagiensis.

(2) Paulo post suam in Procuratorem electionem, a Rectoris munere cessavit.

37) Prov. Venetae — *Proc.*: P. Ioachimus Diam. Alberti, *Instr. tert. probat.* (1) (*olim*: *Praepos. Prov.*, *Super. regul. Miss. Mangalor.*).
Substit.: P. Aloisius Cattaneo.

Ex his autem triginta septem Procuratoribus:

a) *Si munera respiciantur, quibus fungebantur dum electi sunt*: tres erant Viceprovinciales (nn. 3, 7, 21), unus Praepositus Domus Professae (n. 12), decem Rectores (nn. 4, 5, 15, 20, 23, 24, 25, 27, 28, 34), duo Instructores tertiae probationis (nn. 26, 37); tres Magistri Novitiorum (nn. 16, 19, 20), sex Superiores Residentiarum (nn. 9, 10, 18, 22, 31, 36); reliqui Scriptores, Professores aliove non minoris momenti officio fungentes.

b) *Si munera respiciantur, quibus quondam functi erant*: unus fuit olim Assistens (n. 33), duo olim fuerunt Societatis Secretarii (nn. 1, 21), tres Visitatores (nn. 17, 21, 33), quatuordecim Praepositi Provinciales (nn. 4, 9, 10, 12, 13, 16, 17, 21, 22, 26, 31, 33, 36, 37), tres Superiores regulares Missionum (nn. 8, 35, 37).

c) *Si superiores Congregationes respiciantur sive Generales sive Procuratorum*: unus aderat in Congregatione Generali XXV anno 1906 (n. 33), unus in Congregatione Procuratorum anno 1910 (n. 1), unus in Congregatione Procuratorum anno 1913 (n. 33), sex aderant in Congregatione Generali XXVI anno 1915 (nn. 1, 4, 10, 22, 33, 37), tres in Congregatione Procuratorum anno 1920 (nn. 6, 33, 37), tredecim in Congregatione Generali XXVII anno 1923 (nn. 1, 4, 9, 10, 12, 16, 17, 21, 22, 26, 31, 33, 36); sex denique in proxima Congregatione Procuratorum anno 1927 (nn. 6, 12, 22, 33, 36, 37).

d) *Si denique Procuratores et Substituti huius et superioris Congregationis inter se comparentur* (2): novem qui anno 1927 electi fuerant Substituti hoc anno Procuratores sunt electi (nn. 1, 11, 16, 19, 20, 24, 26, 30, 34); tres qui anno 1927 erant Procuratores hoc anno inter Substitutos numerantur (nn. 1, 3, 33); quatuor tam hoc anno quam anno 1927 Substituti electi sunt (nn. 12, 27, 29, 31). — Nec silendum e Procuratoribus anni 1927 proximo hoc triennio unum Assistentem (3), septem Praepositos Provinciales (4) esse renuntiatos.

---

(1) Paulo ante Congregationem Procuratorum renuntiatus est etiam Vicerector suae Domus tertiae probationis, quae Florentia Romam tunc transferebatur.

(2) Cfr. supra, pp. 77-80.

(3) Hic est R. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, novus Assistens Hispaniae, qui anno 1927 erat Procurator suae Provinciae Legionensis (cfr. supra, pag. 79, n. 18).

(4) Hi sunt, secundum ordinem Provinciarum (cfr. supra, pp. 78-80, nn. 5, 7, 14, 15, 17, 23, 29): P. Aloisius Ersin (Austriae), P. Carolus Van de Vorst (Bel-

20 sept. 1930. — Romam pervenire incipiunt Procuratores Provinciarum: hodie excipimus Procuratores Argentino-Chilensis, Californiae, Canadae Inferioris, Columbianae, Legionensis, Mexicanae.

21 sept. — Adveniunt Procuratores utriusque Germaniae et Hiberniae.

22 sept. — Excipimus Procuratores Franciae et Lusitanae.

23 sept. — Adveniunt Procuratores Aragoniae, Neerlandicae et utriusque Poloniae.

24 sept. — Excipiuntur domi nostrae Procuratores Cechoslovachiae, Chicagiensis, Marylandiae-N.E. et Missourianae.

25 sept. — Romam adveniunt Procuratores Austriae, Baeticae, Belgicae, Campaniae, Castellanae, Neo Aurelianensis, Novae Angliae, Siculae, Toletanae.

26 sept. — Reliqui Procuratores (si unum excipias cras mane adventurum) domum nostram petunt, id est: Romanae, Angliae, Hungariae, Lugdunensis, Taurinensis, Tolosanae, Venetae. — Die *27 sept.* mane, cum ob inopinatam navigii moram citius pervenire non potuerit, adest denique Procurator Brasiliae Meridionalis.

27 sept. — Cum nondum perfecta sit aula magna, quae ad futuras Societatis Congregationes habendas apposite exstruitur media inter novam Curiam et contiguam Exercitiorum domum, hac vice aptata est alia aula minor sed optime sufficiens, quam hora 9 Patres Assistentes et Procuratores, singulos appellante Patre Societatis Scretario, ingressi sunt; cumque suum quisque locum proprio nomine insignitum ex ordine occupaverint, Pater Noster demum aulam ingreditur et ad mensam medio et eminentiori in loco positam accedit. En autem ordo, quo Patres Assistentes ad dexteram, Procuratores ad sinistram (sed postremi redeuntes in orbem versus dexteram) secundum antiquitatem professionis sedebant:

---

gicae), P. Ioannes Lauer (Germ. Inf.), P. Franciscus Xav. Hayler (Germ. Sup.), P. Franciscus Xav. Biró (Hungariae), P. Ieremias O'Callaghan (Chicagiensis a Missouriana seiunctae), P. Stanislaus Cisek (Polon. Min.); quibus addi possunt duo Substituti illius anni (cfr. supra, pp. 79-80, nn. 20, 32), qui dein Praepositi item Provinciales sunt renuntiati: P. Candidus Mendes (Lusitanae) et P. Antonius Medina (Toletanae), et alius Substitutus (cfr. supra, pag. 79, n. 25), P. Petrus Willekens, qui Missionis Bataviae (Prov. Neerland.) et deinde Viceprov. Madurensis (Prov. Tolos.) et Miss. Poonensis (Prov. Germ. Sup.) Visitator fuit.

A. R. P. N. WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IESU

A DIE 11 FEBRUARII 1915

Nº	NOMEN	Assistentia vel Provincia	Ortus	Ingressus	Gradus
	ASSISTENTES				
1	R. P. Rudolphus van Oppenraaij	*Germaniae*	1856	26 sept. 1873	2 febr. 1892
2	R. P. Aemilius Mattern	*Americae*	1865	3 sept. 1884	3 febr. 1902
3	R. P. Petrus Boetto	*Italiae*	1871	1 febr. 1888	2 febr. 1906
4	R. P. Norbertus de Boynes	*Galliae*	1870	18 oct. 1888	2 febr. 1906
5	R. P. Iosephus Welsby	*Angliae*	1872	7 sept. 1889	2 febr. 1908
6	R. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo	*Hispaniae*	1876	28 iulii 1891	2 febr. 1910
7	R. P. Ladislaus Jankiewicz	*Slavica*	1883	2 iulii 1898	15 aug. 1916
	PROCURATORES				
1	P. Herbertus Thurston	*Angliae*	1856	28 sept. 1874	2 febr. 1894
2	P. Petrus Tacchi Venturi	*Romana*	1861	12 nov. 1878	2 febr. 1897
3	P. Bernardus I. Otting	*Chicagiensis*	1859	22 iulii 1881	15 aug. 1899
4	P. Martinus Maher	*Hiberniae*	1861	13 sept. 1879	2 febr. 1900
5	P. Aloisius Chauvin	*Lugdunensis*	1861	12 sept. 1883	2 febr. 1900
6	P. Franciscus de P. Nalbone	*Sicula*	1866	30 oct. 1880	2 febr. 1902
7	P. Romualdus Devillers	*Franciae*	1864	7 sept. 1883	2 febr. 1903
8	P. Edmundus Rouffiac	*Tolosana*	1866	26 oct. 1886	2 febr. 1903
9	P. Aloisius Bonduelle	*Campaniae*	1867	12 nov. 1888	2 febr. 1905
10	P. Gulielmus I. Duane	*Maryland.-N. E.*	1868	13 oct. 1887	15 aug. 1905
11	P. Franciscus Xav. Zartmann	*Brasiliae Merid.*	1869	1 maii 1888	15 aug. 1905
12	P. Henricus Bourque	*Canadae Infer.*	1868	30 iulii 1888	15 aug. 1905
13	P. Raimundus Lloberola	*Argent.-Chil.*	1870	30 iulii 1888	2 febr. 1907
14	P. Ioachimus D. Alberti	*Veneta*	1869	9 nov. 1889	2 febr. 1907
15	P. Iosephus Mundó	*Aragoniae*	1872	23 iulii 1889	2 febr. 1908
16	P. Henricus Carvajal	*Legionensis*	1872	10 aug. 1890	2 febr. 1909
17	P. Iosephus Metzger	*Austriae*	1874	7 oct. 1891	2 febr. 1909
18	P. Ludovicus Kösters	*Germaniae Infer.*	1872	30 sept. 1892	2 febr. 1909
19	P. Ioannes B. Creeden	*Novae Angliae*	1871	14 aug. 1890	2 febr. 1910
20	P. Emmanuel Grund	*Baetica*	1874	4 dec. 1890	2 febr. 1910
21	P. Franciscus Xav. McMenamy	*Missouriana*	1872	10 aug. 1892	15 aug. 1910
22	P. Raphael Tramontano	*Neapolitana*	1871	22 mart. 1897	2 febr. 1911
23	P. Gabriel Lizardi	*Columbiana*	1875	14 aug. 1894	2 febr. 1912
24	P. Gabriel Vilallonga	*Castellana*	1865	7 sept. 1896	2 febr. 1913
25	P. Valentinus M. Sánchez	*Toletana*	1879	10 febr. 1894	2 febr. 1914
26	P. Iosephus Kreitmaier	*German. Super.*	1874	30 sept. 1897	2 febr. 1914
27	P. Albertus Filippi	*Taurinensis*	1880	23 oct. 1899	2 febr. 1916
28	P. Iulius Misson	*Belgica*	1882	23 sept. 1900	2 febr. 1917
29	P. Franciscus C. Dillon	*Californiae*	1866	8 ian. 1887	16 iulii 1918
30	P. Stanislaus Sopuch	*Poloniae Mai. et M.*	1869	24 iulii 1884	5 oct. 1919
31	P. Ioannes G. Hynes	*Neo Aurelian.*	1886	27 apr. 1901	2 febr. 1920
32	P. Gerardus Lamers	*Neerlandica*	1881	26 sept. 1903	2 febr. 1921
33	P. Methodius Rihák	*Cechoslovachiae*	1885	14 aug. 1901	2 febr. 1922
34	P. Franciscus Kwiatkowski	*Poloniae Minoris*	1888	14 sept. 1903	2 febr. 1923
35	P. Ioannes E. Vukov	*Hungariae*	1887	30 iulii 1907	15 aug. 1924
36	P. Paulus Durão	*Lusitana*	1893	9 oct. 1908	2 febr. 1927
37	P. Henricus del Valle	*Mexicana*	1889	2 maii 1910	15 aug. 1927

Consessui tamen unus deerat R. P. Ladislaus Jankiewicz, Assistens Slavicus, qui in domestico valetudinario aegrotus degebat. — Omnes igitur in aula praesentes 44 erant. — Servatis omnibus Formulae praescriptis et habita a Patre Nostro prima allocutione (1), ad mensam Praesidis accedunt eique assident duo professione antiquiores: R. P. Rudolphus van Oppenraaij, Germaniae Assistens, et P. Herbertus Thurston, Angliae Procurator. Tunc ad plura suffragia secreta (ea colligente P. Henrico del Valle, inter Procuratores professione iuniore) electus est Congregationis Secretarius P. Petrus Tacchi Venturi, Procurator Provinciae Romanae, qui deinceps ad dexteram Patris Generalis assidet, ad sinistram transeunte R. Patre van Oppenraaij, ad suum vero locum redeunte Patre Thurston.

27-30 sept. — Dies ad informationes petendas accipiendasque assignati, ad normam Formulae Congreg. Procur. nn. 14-20.

29 sept. — Sub vesperam, convenientibus omnibus ad pedes monumenti SS. Cordi Iesu in nostro horto erecti, Pater Noster illud benedicit, et nomine totius Societatis eidem SS. Cordi consecrationem promissionemque renovat, ut supra dictum est (2).

30 sept. — Alter Congregationis conventus habetur, in quo Congregationem Generalem non esse cogendam decretum est. — Cum R. P. Assistens Slavicus morbo impediatur quominus ad aulam se conferat, eius suffragium clausa theca exceperant duo Procuratores sollemni professione iuniores, PP. Paulus Durão et Henricus del Valle, secundum Formulae praescripta (3). — Ad audiendam Patris Nostri adhortationem in hoc altero conventu habitam (4) vocatus in aulam est quoque Relator Brasiliae Centralis (5). — Photographus Pontificius, Commendator Felici, imaginem Patrum photographicam exprimit (6).

30 sept. — Summus Pontifex Patres Congregatos benigne admodum excipit eosque paterne alloquitur (7).

---

(1) V. supra, pp. 487-502.
(2) V. supra, pp. 483, 511-512.
(3) *Form. Congreg. Procur.*, n. 25.
(4) V. supra, pp. 502-511.
(5) Cfr. supra, pag. 482.
(6) V. supra, pag. 482.
(7) V. supra, pp. 483, 485-487.

30 sept. — Vespere iam domo discedunt Procuratores Venetae, Lusitanae, Franciae.

1 oct. — Proficiscuntur Procuratores Romanae, Aragoniae, Californiae, Cechoslovachiae, Columbianae, Hiberniae, Legionensis, Lugdunensis.

2 oct. — In Provincias suas redeunt Procuratores Belgicae, Canadae Inferioris, Castellanae, Hungariae, Tolosanae.

3 oct. — Roma discedunt Procuratores Argentino-Chilensis, Baeticae, Campaniae, Germaniae Superioris, Neapolitanae, Neerlandicae, Neo Aurelianensis, Novae Angliae, Poloniae Minoris, Toletanae.

5 oct. — Abeunt Procuratores Angliae, Germaniae Inferioris, Poloniae Maioris et Mazoviae.

7 oct. — Proficiscuntur Procuratores Austriae, Brasiliae Meridionalis, Chicagiensis, Missourianae.

8 oct. — Procuratores Marylandiae-N. E., Mexicanae, Siculae ex Urbe discedunt.

9 oct. — Procurator Provinciae Taurinensis, munere functus, exinde ut hospes habetur, cum aliquot alios dies ob alia negotia Romae manere debeat.

* * *

Occasione Congregationis Procuratorum, ad normam Formulae huius Congregationis (n. 4) et secundum litteras a Patre Nostro die 10 octobris 1929 datas iisque adnexum elenchum (1), Romam (vario tamen tempore) venerunt cum Patre Nostro acturi hi Viceprovinciarum et maiorum Missionum Relatores:

Relatores Viceprovinciarum independentium

electi ad normam Form. Congr. Prov. n. 2 § 4.

Brasiliae Centr.	— R. P. Marcellus Renaud, *Praepos. Viceprov.* (*Romae fuit*: 27 *sept.* - 31 *oct.*).
Canadae Super.	— P. Iosephus Leahy, *Socius Praep. Viceprov.* (*Romam venturus nuntiatur hoc mense octobri exeunte*).
Iugoslaviae	— R. P. Antonius Prešeren, *Praep. Viceprov.* (*Romae fuit*: 23 *iul.* - 5 *aug.*).

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 343-355.

Relatores Viceprovinciarum dependentium

designati secundum Form. Congr. Procur. n. 4.

CUBANAE (Prov. Legion.) — R. P. Henricus Carvajal, *Praepos. Viceprov.* (1) (*Romae fuit: 20 sept. - 1 oct.*).

MADURENSIS (Prov. Tolos.) — P. Alfredus Bonhoure, *Rect. Coll. Trinchinopolitani S. Ioseph* (*Romae fuit: 23 iun. - 9 iul.*).

Relatores Missionum maiorum

designati secundum Form. Congr. Procur. n. 4.

		Romae fuerunt:
AEQUATORIANAE (Prov. Baet.)	— R. P. Prudentius De Clippeleir, *Super. regul.*	7–18 aug.
AUSTRALIANAE (Prov. Hibern.)	— R. P. Ieremias Sullivan, *Super. regul.*	2–16 apr.
BATAVIAE (Prov. Neerland.)	— P. Iosephus van Baal, *Rect. Coll. Moentill.*	26 iun.–14 iul.
BRASILIAE SEPTEMTR. (Prov. Lusit.)	— R. P. Iosephus Caelestinus Balazeiro, *Super. regul.*	2–15 oct.
CALCUTTENS.-RANCHENS. (Prov. Belg.)	— R. P. Mauritius Veys, *Super. regul.*	23–28 maii.
CALICUTENSIS (Prov. Ven.)	— P. Marianus A. Lunazzi, *Prorur. Mission.*	12–21 iul.
KWANGENSIS (Prov. Belg.)	— R. P. Iulius Lambrette, *Super. regul.*	5–14 iun.
NANKINENSIS (Prov. Franc.)	— R. P. Eugenius Beaucé, *Super. regul.*	26 iul.–3 aug.
PHILIPPINARUM (Prov. Maryl.-N. E.)	— R. P. Iacobus I. Carlin, *Super. regul.* (2)	29 iul.–13 aug.
SIENHSIEN (Prov. Camp.)	— R. P. Paulus Bornet, *Super. regul.*	30 maii–10 iun.
SYRIAE (Prov. Lugdun.)	— R. P. Claudius Chanteur, *Super. regul.*	17–23 iul.
TANANARIVENSIS (Prov. Tolos.)	— R. P. Ioannes Delom, *Super. regul.*	8–15 aug.

NOTA. — Missiones *Bombayensis* (Prov. Arag.), *Fianarantsoana* (Prov. Camp.), *Peruviana* (Prov. Tolet.) et *Salisburiensis* (Prov.

---

(1) Erat etiam electus Procurator suae Prov. Legionensis: cfr. supra, pp. 484, 515.

(2) Dum in suam Missionem per Americam rediret, die 1 oct. Angelopoli in California inopinate obiit.

Angl.), quibus idem ius tribuebatur, variis de causis a mittendo Relatore hac vice dispensatae sunt.

E Missionibus vero *Ankinensi* (Prov. Legion.), *Hongkong* (Prov. Hibern.), *Pengpu* (Prov. Taurin.), *Trincomaliensi* (Prov. Camp.), *Wuhu* (Prov. Castell.), quamquam Relatorem proprie dictum Romam mittendi ius nondum habent, earum Superiores regulares in Europa versantes Urbem petierunt Patrem Nostrum allocuturi; scilicet (secundum praedictum harum Missionum ordinem): R. P. Iacobus Soria, *28 iun. - 11 iul.;* R. P. Georgius Byrne, *20 iun. - 4 iul.;* R. P. Antonius Tissoni, *27 iun. - 5 iul.;* R. P. Mauritius Boutry, *24 iun. - 1 iul.;* R. P. Zeno Arámburu, *28 iun. - 11 iul.*

VI.

SYNOPSIS HISTORICA OMNIUM CONGREGATIONUM PROCURATORUM

AB ANNO 1568 AD 1930 HABITARUM.

Quoniam, ut notatum est (1), Congregatio Procuratorum nuper celebrata sexagesimum locum tenet, non abs re erit hanc occasionem nancisci ut perbrevis historica synopsis omnium huiusmodi Societatis conventuum proponatur.

Ut notum est, Procuratorum Congregatio proprie dicta a Congregatione Generali II instituta est, statuente ut qui ex Provinciis, secundum S. P. Ignatii praescripta, tertio quoque anno Romam mittendi erant « ad Praepositum Generalem multis de rebus certiorem faciendum » (2), ii eodem tempore venirent convenirentque simul ac secretis suffragiis decernerent utrum Congregatio Generalis cogenda esset nec ne.

Iuvat totum Decretum 19 illius Congregationis Generalis exscribere: « Cum ageretur a R. P. Praeposito [S. Francisco Borgia] de Congregatione Generali an certis et statis temporibus esset cogenda, visum est Congregationi eius sententiam sequi quae septimo quoque anno eam celebrandam esse censuit; hoc addito, quod si maior pars Provincialium in septimo anno iudicet res graves non esse, quae tractari in Congregatione debeant, differri possit in biennium, ita ut nono quoque anno ad summum celebrari debeat. — Sed intercessum est et intercessio

(1) Cfr. supra, pag. 481.

(2) *Const.*, P. VIII c. 2, B.

« obtinuit, ne ullum certum tempus praescribatur; sed tertio quo« que anno veniant simul ex omnibus Provinciis Procuratores, qui « professi quatuor votorum et viri maxime idonei sint, a Con« gregatione Provinciali electi, et habeant ius suffragii simul cum « Assistentibus et ipso P. Generali, qui duo suffragia et qualita« tem praecedendi habebit, ad decernendum: an cogi debeat Con« gregatio Generalis, nec ne » (1).

His generalioribus praescriptis idem S. Franciscus Borgia in Formula Congregationis Provincialis a se primum confecta addidit alia quaedam, quae totam negotii peragendi rationem pressius determinarent, e quibus haud pauca dein a Generalibus Congregationibus confirmata in propriam huius Congregationis Formulam transierunt (2). Arctum igitur, ut Pater Noster in prima allocutione meminit (3), Procuratorum Congregatio cum S. Francisco Borgia nexum habet, eo magis quod primam huiusmodi Congregationem, sicut P. Franciscus Sacchini egregie notaverat, « sanctitas eximia Francisci quodammodo dedicavit sacravitque, ut velut ex generoso quodam caelestique rore imbuto semine sperare liceat ad sequentes quoque transfusum vigorem » (4).

Idem fere et de secunda dici possit, cum haec quoque S. Francisco Borgia Praeposito Generali celebrata sit.

Sed iam Congregationum seriem percurramus (5).

I. — *1568, 2-6 oct.* — S. Francisco Borgia *Praep. Gen. III.* — Congregati Patres 18 (6). — Secretarius electus est P. Petrus Ribadeneira, Procurator Romanus. — Eius *Acta* non exstant in Archivo Societatis (7), sed multa de hac Congregatione narrat

(1) *Instit. S. I.*, edit. Florent., vol. II. pag. 199, decr. 19. — In illa II Congregatione Generali, praeter S. Franciscum Borgiam aliosque clarissimos viros, aderant etiam S. Petrus Canisius Praepositus Prov. Germ. Super. et B. Ignatius de Azevedo Procurator Brasiliae.

(2) Cfr. Augustus Coemans S. I., *Breves notitiae de Instituto, Historia etc. Societatis*, Romae, 1930, n. 69 (pag. 28).

(3) Cfr. supra, pag. 488.

(4) Sacchini, *Histor. S. I. pars III*, lib. IV, n. 126.

(5) Cfr. Coemans, l. c., n. 1, pp. 8-15.

(6) Hic et in sequentibus computantur etiam Assistentes ipseque Generalis Praepositus.

(7) Exstat quoddam eorum exemplar in Bibliotheca Regia Bruxellensi (*Manuscrits*, t. IV, n. 3959).

P. Franciscus Sacchini in *Historia Societatis* (1), ubi etiam nomina omnium Congregatorum habentur: sufficiat nominatim commemorare S. Petrum Canisium, cuius in Procuratorem suae Provinciae Germaniae Superioris electio, « tametsi Provinciae praeerat, rata habita est, quod iam in Italiam venerat cum responsum est Provinciales legi non debere » (2). — Primae sessioni praefuit P. Everardus Mercurianus, Germaniae Assistens, quia S. Franciscus Borgia morbo implicitus erat. — Alteri sessioni, in sacello Patris Praepositi habitae (3), Sanctus ipse Generalis iam validior factus praefuit, in eaque declaratum est « Generalem Congregationem cogendam non videri » (4).

II. — *1571, mense iunio.* — S. Francisco Borgia *Praep. Gen. III.* — De hac Congregatione parum admodum scimus, eiusque *acta* non exstant (5). Procuratores Romam venire debebant exeunte maio vel ineunte iunio ad negotia sua tractanda; ipsa vero Congregatio mense septembri habenda erat, ut ex litteris indictionis coniicitur. Sed praeter opinionem Sanctus Praepositus Generalis a S. Pio V comes Cardinali Alexandrino Legato in Hispaniam et Galliam profecturo datus est, et obedientissimus vir, relicto Vicario Generali P. Hieronymo Nadal, difficillimum iter die 30 iunii iniit. — Nescimus quot Procuratores Romae tunc adessent (inter eos certe erat venerandus ille P. Balthassar Alvarez), nec quibus diebus habita sit ipsa Congregatio. Sacchini in *Historia Societatis* hoc unum aperte asserit: « Ab ortu salutis humanae anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo secundus Procuratorum conventus... habitus Romae est » (6). Deinde affirmans quod « Iunio mense convenerant Procuratores rebus per otium aestate tractandis », statim de itinere S. Francisci Borgiae narrare incipit (7); de Congrega-

(1) Sacchini, l. c., nn. 117-127.

(2) Sacchini, l. c., n. 127.

(3) Hoc sacellum Praepositi Generalis, ut videtur, erat ipsum conclave ubi S. P. Ignatius mortuus est, quod etiam nunc pie colitur: ibi habita erat etiam I Congregatio Generalis anno 1558.

(4) Sacchini, l. c., n. 125.

(5) Haec Congregatio a quibusdam praetermittitur in serie Congregationum Procuratorum, ideoque haec series non est constans apud varios auctores (cfr. supra, pag. 77 in nota); sed quae ex Sacchini hic referimus certo demonstrant Congregationem celebratam esse, quamvis festinanter.

(6) Sacchini, *Hist. S. I. pars. III*, lib. VII, n. 1.

(7) Sacchini, l. c., n. 4.

tione vero nihil aliud subiungit nisi haec vago modo dicta: « Tum Franciscus, Procuratorum negotia, quae confici paucis diebus poterant, maturare aggressus, novos Provinciales designavit » etc. (1). Nonne etiam ipsa Congregatio « paucis diebus confici » poterat? Factum igitur certum, certum etiam decretum de non cogenda Congregatione Generali, reliqua facti adiuncta incerta.

III. — *1576, 17-22 iunii.* — R. P. EVERARDO MERCURIANO *Praep. Gen. IV.* — Congregati Patres 21 (2), inter quos P. Oliverius Manaraeus (3). — Ex hac Congregatione incipiunt *Acta* authentica Congregationum Procuratorum, quae manuscripta servantur in Archivo Societatis quaeque prae oculis habemus ad has notas conficiendas (4). — Secretarius Congregationis electus est P. Nicolaus Clerus, Procurator Prov. Franciae. — In altera sessione (habita « in tricliniolo praedicti Patris Nostri ») Generalem Congregationem cogendam non esse decretum est.

IV. — *1579, 2-5 nov.* — R. P. EVERARDO MERCURIANO *Praep. Gen. IV.* — Congregati Patres 21, inter quos PP. Benedictus Palmio, Aegidius Gonzalez, Oliverius Manaraeus (5), Edmundus Augerius, Hieronymus Ripalda (qui etiam I^{ae} Congregationi Procuratorum intererat). — Congregatione plena et legitima declarata, « propositum fuit a R. P. N. Generali an R. P. Nicolaus Bobadilla, qui domi tunc aderat, ad consessum Procuratorum esset advocandus, et omnium fere sententiis iu-

(1) SACCHINI, l. c., n. 7.

(2) Variationes quae notantur in numero Congregatorum facile explicantur (ut nihil dicatur de crescente numero Provinciarum) cum ex impedimentis tunc saepe obstantibus quominus Procuratores quidam Romam venirent, tum ex eo quod Provinciae transmarinae (et quidem non omnes nec semper) Procuratorem mittebant non tertio sed sexto quoque anno.

(3) Hic nominatim commemorantur solum quidam clariores viri, qui in historia Societatis sive sanctitate sive muneribus sive doctrina locum eminentem obtinuerunt; brevitatis tamen causa de iis plerumque non indicatur utrum essent Assistentes an Procuratores.

(4) Haec *Acta* authentica duobus codicibus continentur, quorum prior Acta refert Congregationum a III (an. 1576) ad XXVI (an. 1675) inclusive, alter vero Acta posteriorum Congregationum a XXVII (an. 1678) et deinceps. — In his autem nostris notis, quaecumque intra signa «....» referuntur, ex Actis desumpta esse intelligantur, quin singulis vicibus notulam indicativam subiungamus.

(5) Is deinde, post mortem R. P. Everardi Mercuriani, Vicarius Generalis fuit (an. 1581).

dicatum fuit eum ex eodem aequitatis debito, quo semper eiusmodi primi Societatis nostrae Patres ad Congregationes Generales fuerunt acciti, ad hanc etiam nostram Congregationem esse admittendum, atque ita statim factum est ». — Secretarius electus est P. Iulius Fatius, Procurator Provinciae Romanae (1). — In altera sessione, Congregationem Generalem cogendam non esse decretum est (2).

V. — *1584, 16-19 nov.* (3). — R. P. Claudio Aquaviva *Praep. Gen. V.* — Congregati Patres 25, inter quos PP. Paulus Hoffaeus, Laurentius Magius (Maggio), Achilles Gagliardi, Theodoricus Canisius (S. Petri Canisii frater). — Electus est Secretarius P. Fabius Fabius seu de Fabiis, Procurator Provinciae Romanae. — In altera sessione « decretum fuit Congregationem Generalem cogendam non esse ». — In hac sessione primum accidit, quod unus e Congregatis aegrotaret et suum suffragium absens daret et mitteret (4): is fuit hac vice P. Petrus Martinez, Procurator Prov. Lusitanae.

VI. — *1587, 16-19 nov.* — R. P. Claudio Aquaviva *Praep. Gen. V.* Congregati Patres 25, inter quos PP. Nicolaus Bobadilla (ut supra, in Congregatione IV), Paulus Hoffaeus, Ioannes Bapt. Carminata, Eleutherius Pontanus, Bernardinus Castorius. — Electus est Secretarius Congregationis P. Carolus Regius, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « decretum est non esse cogendam Congregationem Generalem ».

---

(1) Hic fuerat Superior et Magister Novitiorum S. Stanislai Kostka eiusque vitam primus breviter conscripsit et in lucem edidit. — Hoc tempore erat Secretarius Societatis.

(2) Mortuo Generali P. Everardo Mercuriano († 1 aug. 1580), sequenti anno 1581 habita est Congregatio Generalis IV, in qua P. Claudius Aquaviva electus est Praepositus Generalis.

(3) Exinde usque ad R. P. Anderledy (an. 1886) Congregationes Procuratorum, si nonam (an. 1600) excipias, in diem 15 novembris indici consueverunt, quamquam prima Congregationis sessio non semper die 16 novembris haberi potuit, idque plerumque, ut absentium, qui mox venturi sperabantur, adventus exspectaretur. Hic autem indicantur dies, quibus revera habita est Congregatio.

(4) Id semel commemorasse sufficiat: nam huiusmodi casus saepe deinde accidit, nec vacat hic de singulis mentionem facere. — In priore Procuratorum Congregationis Formula nihil certum praescribebatur de ratione excipiendi votum ab aegrotantibus in eadem domo; sed nova Formula a Congregatione Generali XXVII recognita et approbata praxim iamdudum inductam confirmavit sancivitque (n. 25).

VII. — *1590, 23-26 nov.* — R. P. Claudio Aquaviva *Praep. Gen. V.* — Congregati Patres 24, inter quos PP. Paulus Hoffaeus, Laurentius Magius (Maggio), Ioannes Busaeus, Petrus Antonius Spinelli, Bernardinus Confalonieri (1). — Electus est Secretarius P. Iacobus Crucius (Croce), Prov. Romanae Procurator. — In altera sessione « decretum et definitum fuit non esse cogendam Congregationem Generalem » (2).

VIII. — *1597, 23-26 nov.* — R. P. Claudio Aquaviva *Praep. Gen. V.* — Congregati Patres 24, inter quos maxime eminet S. Robertus Bellarmino, Provinciae Romanae Procurator; aderant etiam PP. Ioannes Bapt. Carminata et Nicolaus de Almazan. — In altera sessione decretum est atque constitutum Congregationem Generalem non esse cogendam.

IX. — *1600, 6-9 iun.* (3). — R. P. Claudio Aquaviva *Praep. Gen. V.* — Congregati Patres 25, inter quos PP. Paulus Hoffaeus (4), Franciscus Costerus, Achilles Gagliardi, Ferdinandus Cardim. — Secretarius electus est P. Bernardinus Rosignoli, Prov. Romanae Procurator. — In altera sessione decretum et constitutum est Congregationem Generalem non esse cogendam.

X. — *1603, 16-19 nov.* — R. P. Claudio Aquaviva *Praep. Gen. V.* — Congregati Patres 24, inter quos PP. Iacobus Croce et Ioannes de Pineda. — Electus est Secretarius P. Benedictus Iustinianus (Giustiniani), Procurator Provinciae Romanae. — In altera sessione « decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam ».

---

(1) Is fuit Praepositus Provincialis Provv. Romanae, Mediolanensis, Siculae, Venetae, et deinde Assistens Italiae.

(2) Anno 1593 pro Congregatione Procuratorum, iussu Clementis VIII et petente Philippo II Rege Hispaniae, habita est Congregatio Generalis V (3 nov. 1593-18 ian. 1594).

(3) De consensu Summi Pontificis Clementis VIII anticipata est Congregatio, « ante elapsum triennium ab ultima Congregatione Procuratorum menses ferme sex» ut legitur in *Actis*: quod quidem, ut deinde dixit P. Aquaviva (epist. 30 martii 1602), « eo tantum consilio factum fuit ut, si ex Procuratorum suffragiis Congregationem Generalem cogi oportere constitisset, eam in sequentem novembrem indicere liceret ».

(4) Fuerat olim Assistens Germaniae; in hac Congregatione erat Procurator Germaniae Super.

XI. — *1606, 16-19 nov.* — R. P. CLAUDIO AQUAVIVA *Praep. Gen. V.* — Congregati Patres 24, inter quos PP. Fabius de Fabiis, Ioannes Bapt. Carminata, Iulius Negronus. — Secretarius electus est P. Bernardinus Castorius, Prov. Venetae Procurator. — In altera sessione « ad plura medietate suffragia decretum et definitum fuit *cogendam esse* Congregationem Generalem » (1).

XII. — *1611, 16-19 nov.* — R. P. CLAUDIO AQUAVIVA *Praep. Gen. V.* — Congregati Patres 27, inter quos PP. Ferdinandus Alber (post mortem R. P. Aquaviva Vicarius Generalis futurus), Ludovicus Richeomus (Richeôme), Nicolaus de Almazan, Mutius Vitelleschi (2), Petrus Antonius Spinelli, Carolus Mastrilli, Carolus Scribani (3), Antonius Suffren. — Congregatio habita est « in aula Martyrum Romanae Domus professae ». — Secretarius electus est P. Iacobus Dominicus, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « decretum est Generalem Congregationem non esse cogendam ».

XIII. — *1619, 16-19 nov.* (4). — R. P. MUTIO VITELLESCHI *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 29, inter quos PP. Iacobus

(1) Haec Congregatio Generalis VI fuit unica huc usque in historia Societatis, quae ex decreto Congregationis Procuratorum celebrata sit. Habita est anno 1608 (21 febr.-29 mart.). — In *Actis* huius Congregationis Procuratorum XI^{ae}, post decretum de cogenda Congregatione latum, haec leguntur: « Cum autem de tempore, quo cogenda esset [Congregatio Generalis], quaesitum fuisset, ad plura item medietate suffragia secreta ut mense Maio fieret [decretum est]; sed cum intercessum fuisset a nonnullis Patribus, ob ipsorum Provinciarum incommoda, placuit Congregationi ut iterum finiretur suffragiis, atque ita per secreta suffragia decretum, ut mense Septembri proximi anni 1607 cogeretur ». Quod autem in annum 1608 remissa sit, id potissimum factum est ob Congregationem de Auxiliis, cuius finis expectari debuit. Ceterum ius determinandi tempus ad cogendam Congregationem Generalem ablatum deinde est Congregationi Procuratorum (decr. 26 Congr. Gen. VI).

(2) Erat tunc Italiae Assistens (anno 1608 Patri Fabio de Fabiis suffectus), Praepositus Generalis mox futurus.

(3) Hic, paulo post Praepositus Provinciae Flandro-Belgicae factus, anno 1616 in Societatem recepit S. Ioannem Berchmans, eumque post novitiatum Romam misit.

(4) Congregatio Procuratorum quae haberi debebat anno 1614, dilata fuerat in mensem maium sequentis anni ob adversam valetudinem Patris Aquaviva, qui interea obiit († 31 ian. 1615); ideoque eo anno habita est Congregatio Generalis VII.

Croce (1), Nicolaus de Almazan (2), Theodorus Busaeus (3), Carolus Mastrilli, Benedictus Giustiniani, Petrus Coton, Gulielmus Bauters (4). — Congregatio habita est « in bibliotheca Domus Professae Romanae ». — Electus est iterum Secretarius P. Iacobus Dominicus (5), qui tamen hac vice non iam Romanae, sed Siculae Provinciae erat Procurator. — In altera sessione « decretum est Generalem Congregationem non esse cogendam ».

XIV. — *1622, 16-19 nov.* — R. P. MUTIO VITELLESCHI *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 28, inter quos PP. Ioannes Bourghesius, Iacobus Tirinus, Stephanus Charlettus (Charlet) (6). — Congregatio habita est « in bibliotheca Domus Professae Romanae ». — Secretarius electus est P. Decius Striverius, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « decretum est Generalem Congregationem non esse cogendam ».

XV. — *1625, 24-27 nov.* — R. P. MUTIO VITELLESCHI *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 26, inter quos PP. Ioannes Forerius (Fourier), Decius Striverius, Antonius Sucquet (7). — Con

---

(1) Hic aliis quoque proximis quinque Congregationibus Procuratorum adfuit: quod hic adnotasse sufficiat, ne eius nomen, utut clarum, quinquies adhuc sit repetendum.

(2) P. Nicolaus de Almazan seu Almaçan, qui ut Assistens Hispaniae aderat in Congregatione Procuratorum XII (an. 1611), in Congregatione Generali VII (anno 1615) a munere Assistentis cessaverat et dein a Patre Vitelleschi Secretarius Societatis fuerat nominatus; sed anno 1618, novo Hispaniae Assistente defuncto, iterum Assistens Hispaniae renuntiatus est, et qua talis aliis proximis tribus Congregationibus Procuratorum interfuit. — Quod quis bis fuerit Assistens (intervallo alterius Assistentis interiecto) casus est rarissimus in historia Societatis, dignus proinde qui commemoraretur: idem accidit tantum aliis duabus vicibus: cum P. Petro de Cespedes, item Hispaniae Assistente, annis 1744-1755 et 1756-1758 et cum P. Valentino Queck, Assistente Germaniae, annis 1702-1706 et 1716-1725. Cfr. *Synopsis historiae S. I.*, Ratisbonne, Pustet, an. 1914, col. 521 ad 523.

(3) Aliis quatuor proximis Congregationibus adfuit ut Germaniae Assistens.

(4) Hic fuerat Magister Novitiorum S. Ioannis Berchmans in altero novitiatus anno.

(5) P. Iacobus Dominicus seu Dominici fuerat Secretarius Societatis annis 1595-1600.

(6) Assistens Galliae anno 1627 renuntiatus, interfuit qua talis quinque Congregationibus Procuratorum a XVI ad XX; deinde fuit iterum Praepositus Prov. Franciae.

(7) Is fuerat Rector et Magister Novitiorum S. Ioannis Berchmans in primo novitiatus anno.

gregatio habita est « in aula, quae Martyrum dici solita est » (1). — Secretarius electus est P. Iacobus Dominicus, Prov. Siculae Procurator, qui eodem munere functus erat in Congregationibus XII et XIII. — In altera sessione « decretum fuit non esse cogendam Congregationem Generalem ». — In hac Congregatione primum factum est ut Pater Generalis quaedam verba exhortationis (praeter ea quae proxime respicerent ipsam Congregationis Formulam) ad PP. Congregatos haberet: qui mos deinde in omnibus posterioribus Congregationibus servatus est et ampliatus.

XVI. — *1628, 21-24 nov.* — R. P. Mutio Vitelleschi *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 32, intes quos PP. Florentius de Montmorency (2) et Carolus a Lotharingia (3), necnon duo futuri Praepositi Generales Goswinus Nickel et Franciscus Piccolomini, qui postremus, tunc Procurator Prov. Romanae, electus est Secretarius Congregationis. — In altera sessione « decretum fuit Generalem Congregationem non esse cogendam ».

XVII. — *1633, 16-19 nov.* (4). — R. P. Mutio Vitelleschi *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 31, inter quos PP. Stephanus Binet (5) et Vincentius Carrafa. — Secretarius electus est P. Nicolaus Baldelli, Procurator Prov. Romanae et Domus Professae Romanae Vicepraepositus. — In altera sessione « decretum fuit Congregationem Generalem non esse cogendam ».

---

(1) Deinceps plerumque talis aula indicatur ut locus Congregationis: nec est cur singulis vicibus id repetamus. Ea tamen aula anno 1639 ita indicatur: « Aula quae olim Martyrum nuncupabatur, nunc Bibliotheca secretior est Domus Professae ». Aliquando etiam « Aula Farnesiana » nuncupatur; postea vero (ab anno 1700 circiter et deinceps) vocatur « Archivum ».

(2) Is fuit ter Praepositus Provincialis, deinde Assistens Germaniae et, post mortem R. P. Carrafa, Vicarius Generalis. In hac Congregatione erat Procurator Prov. Gallo-Belgicae.

(3) Is fuerat Episcopus Virodunensis (Verdun), e familia principe; cum autem in eo esset ut crearetur Cardinalis, in Societatem sese receperat an. 1622: sollemni professione statim post tirocinium nuncupata, in hac Congregatione erat Procurator Prov. Aquitaniae; obiit magna cum sanctitatis fama an. 1631, nondum quadragenarius.

(4) Congregatio Procuratorum, quae anno 1631 cogenda erat, ter differri debuit ob pestilentiam Romae grassantem.

(5) Is fuit clarus scriptor asceticus et contra Jansenistas pugnavit. Rexit etiam, ut Praepositus, tres Galliae Provincias: Franciae, Campaniae, Lugdunensem.

XVIII. — *1636, 17-20 nov.* — R. P. MUTIO VITELLESCHI *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 29, inter quos PP. Petrus Pimentel, Martinus Stredonius, Gaspar Druzbicki (1). — Secretarius electus est P. Ioannes Stephanus Menochio (2), Procurator Prov. Mediolanensis. — In altera sessione « decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam ».

XIX. — *1639, 16-19 nov.* — R. P. MUTIO VITELLESCHI *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 27, inter quos iterum P. Vincentius Carrafa, Neapolitanae Provinciae Procurator et mox Praepositus Generalis futurus (3). — Secretarius electus est P., Nicolaus Berzetti, Prov. Romanae Procurator. — In altera sessione Generalem Congregationem non esse cogendam decretum est.

XX. — *1642, 21-24 nov.* — R. P. MUTIO VITELLESCHI *Praep. Gen. VI.* — Congregati Patres 30, inter quos PP. Carolus de Sangro (4), Iulius Caesar Recupito, Henricus Morus, Gaspar Druzbicki, necnon P. Franciscus Piccolomini (5), qui etiam hac vice Procurator Prov. Romanae erat et Congregationis Secretarius electus est. — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam (6).

---

(1) Hic non minus sanctitate quam scriptis asceticis et eloquentia claruit in Polonia.

(2) Is, clarus Sacrae Scripturae commentator, fuit Rector Collegii Romani, Praepositus Provinciarum Romanae, Mediolanensis, Venetae, ac demum Admonitor Praepositi Generalis († 1655).

(3) Ut notum est, eximia quoque sanctitate claruit ita ut de eius beatificatione olim agi coeptum sit.

(4) Is, Assistens Italiae, huic et proximae Congregationi interfuit, et post mortem R. P. Vitelleschi, fuit Vicarius Generalis (1645-1646). Fuerat autem Praepositus Provinciarum Romanae (bis), Neapolitanae (bis), Mediolanensis, Venetae.

(5) V. supra, ad Congr. Procur. XVI.

(6) Post hanc Congregationem, in *Actis* hae binae adduntur notae:

— « Anno 1645, — quo, exacto iam triennio, ex Decretis et Formula Procuratorum Congregatio habenda fuisset, intermissa est propterea quod ad novum Praepositum Generalem eligendum Conventus Generalis indictus fuerat ad diem 20 novembris ».

— « Simili modo, anno 1649, quo Procuratorum Congregatio habenda fuisset, intermissa est, quoniam P. N. Vincentio Carrafa defuncto, ad novum Praepositum Generalem eligendum Conventus Generalis indictus fuerat ad diem 8 decembris ».

XXI. — *1655, 16-19 nov.* — R. P. Goswino Nickel *Praep. Gen. X* (1). — Congregati Patres 30. — Electus est Secretarius P. Ludovicus Bomplanus (Bompiani), Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione, « petito etiam suffragio decumbentis (2), decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam ».

XXII. — *1658, 21-24 nov.* — R. P. Goswino Nickel *Praep. Gen. X.* — Congregati Patres 33 (3), inter quos PP. Paulus de Barry (4), Carolus Lallemant, Ioannes Paulus Oliva Praepositus Generalis mox futurus. — Secretarius electus est P. Horatius Fontana, Procurator Prov. Venetae. — In altera sessione, « decretum fuit Congregationem Generalem non esse cogendam ».

XXIII. — *1665, 16-19 nov.* (5). — R. P. Ioanne Paulo Oliva *Praep. Gen. XI.* — Congregati Patres 33 (6), inter quos P. Carolus de Noyelle, qui aliis quoque proximis quinque Procuratorum Congregationibus, ut Germaniae Assistens, interfuit, donec in Praepositum Generalem electus est. — Electus est Secretarius P. Stephanus de Champs, Prov. Franciae Procurator. — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam (7).

---

(1) Praepositis Generalibus Vincentio Carrafa, Francisco Piccolomini, Alexandro Gottifredi, ob perbreve eorum regimen, nulla habita est Procuratorum Congregatio.

(2) Erat is P. Gerardus Bovier, Procurator Prov. Campaniae.

(3) In prima sessione erant 32, sed in altera sessione erant 33, quia pridie Romam pervenerat P. Ludovicus Lopez, Procurator Prov. Transtaganae: haec autem Provincia, anno 1653 a Provincia Lusitana seiuncta, anno 1665 iterum ei unita est, unam Lusitanam Provinciam cum ea efformans.

(4) Is magnam partem habuit in condendo monasterio Visitationis Paredii (Paray-le-Monial), quod post aliquot annos ingressa est et summopere illustravit S. Margarita Maria Alacoque.

(5) Cum ex decreto Innocentii X Congregatio Generalis nono quoque anno cogi debuisset, Congregatio XI (an. 1661), qua P. Ioannes Paulus Oliva Vicarius Generalis perpetuus cum iure successionis electus est, statuerat (decr. 35) ut intra novennium semel tantum Congregatio Procuratorum conveniret, id est medio novennio; ideoque in annum 1665 indicta est: tunc autem Pater Oliva, a die 31 iul. 1664, Praepositus Generalis etiam pleno nomine et iure factus erat.

(6) In prima sessione erant 32, sed deinde advenit P. Gaspar Lanzetta, Procurator Prov. Siculae, et alteri sessioni interfuit.

(7) Antequam Roma discederent, Procuratores libellum supplicem ab omnibus subscriptum Patri Generali porrexerunt, quo eum rogabant ad mentem praeteritae Congregationis Generalis, ut totis viribus prudenter curaret ut decretum

XXIV. — *1669, 16-19 nov.* — R. P. IOANNE PAULO OLIVA *Praep. Gen. XI.* — Congregati Patres 31. — Secretarius electus est P. Mercurius Verdier, Procurator Prov. Aquitaniae. — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam.

XXV. — *1672, 17-20 nov.* — R. P. IOANNE PAULO OLIVA *Praep. Gen. XI.* — Congregati Patres 26, inter quos P. Nicolaus Avancinus. — Secretarius electus est P. Franciscus de Malines, Procurator Prov. Mediolanensis. — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam.

XXVI. — *1675, 18-21 nov.* — R. P. IOANNE PAULO OLIVA *Praep. Gen. XI.* — Congregati Patres 32, inter quos P. Franciscus Guarinus (1). — Secretarius electus est P. Ioannes Antonius Caprinus, Prov. Romanae Procurator. — In altera sessione decretum est non esse cogendam Congregationem Generalem.

XXVII. — *1678, 18-21 nov.* — R. P. IOANNE PAULO OLIVA *Praep. Gen. XI.* — Congregati Patres 30 (2). — Electus est Secretarius P. Iulius Caesar Rho, Procurator Prov. Mediolanensis. — In altera sessione statutum est Congregationem Generalem non esse cogendam.

XXVIII. — *1681, 16-19 nov.* — R. P. IOANNE PAULO OLIVA *Praep. Gen. XI.* — Congregati Patres 27 (3), inter quos P. Ignatius Diertins. — Secretarius electus est P. Antonius Pagez, Procurator Prov. Tolosanae. — In altera sessione decretum est non esse cogendam Congregationem Generalem (4).

Innocentii X de novennali Congregatione Generali habenda penitus abrogaretur. — Pater Oliva a Clemente IX obtinuit ut talis Decreti exsecutio suspenderetur, atque ita etiam in annum 1669 indicta est Congregatio Procuratorum.

(1) Is deinde fuit: Praepositus Provinciarum Romanae, Neapolitanae et Siculae, Secretarius Societatis (1694-1697), Assistens Italiae (1696-1706).

(2) A quodam praevio Patrum conventu pridie habito abstinuerat P. Antonius Gonzalves, Lusitaniae Assistens, eiusque litterae lectae sunt, quibus ut a munere Assistentis levaretur postulabat; sed Congregationi deinde adfuit, et nonnisi post eam exauditae sunt eius preces.

(3) Deerant quinque Procuratores variis de causis: duo ex his in itinere mortui erant, quin tempus sufficeret ad Substitutos vocandos: P. Ioannes Garnier, Procurator Prov. Franciae, obierat Bononiae die 26 octobris; P. Ludovicus Wechtler, Procurator Prov. Austriae, « Surenii in agro Mediolanensi extinctus est (ut dicunt *Acta*) 28 octobris... fato nobis repentino, sed non homini erudito ad mortalis vitae incertos casus et cui quilibet dies supremus fuit ».

(4) Vix soluta Congregatione Procuratorum, R. P. Ioannes Paulus Oliva in Domum probationis S. Andreae sese recepit ibiqui paucis post diebus pie obiit

XXIX. — *1685, 18-21 nov.* — R. P. Carolo de Noyelle *Praep. Gen. XII.* — Congregati Patres 29 (1), inter quos P. Nicolaus Avancinus. — Secretarius electus est P. Hannibal Leonardelli, Procurator Prov. Venetae. — In altera sessione, « decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam ».

XXX. — *1690, 16-19 nov.* — R. P. Thyrso Gonzalez *Praep. Gen. XIII.* — Congregati Patres 33, inter quos P. Eusebius Truchsess (2). — Secretarius electus est P. Iacobus Massius, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione Congregationem Generalem non esse cogendam decretum fuit.

XXXI. — *1693, 16-19 nov.* — R. P. Thyrso Gonzalez *Præp. Gen. XIII.* — Congregati Patres 32, inter quos P. Paulus Segneri (senior). — Electus est Secretarius P. Amedeus Manassero, Procurator Prov. Mediolanensis. — In altera sessione « patuit pro cogenda Congregatione Generali stetisse septemdecim [suffragia], pro non cogenda sexdecim; adeoque cogendam esse decretum fuit ». — Hoc tamen decretum, cum deinde R. P. Thyrso Gonzalez dubium iniiceretur num valeret eo quod vix habitus esset excessus supra medietatem in suffragiis pro cogenda, exsecutioni non est mandatum: nam, re ad Sanctam Sedem delata et apud peculiarem Cardinalium Congregationem discussa, in negativam sententiam itum est (3). Sequens vero Congregatio Generalis XIV (4), nihil de casu praeterito decernere volens, statuit ut deinceps in simili casu requirantur tria

---

die 26 nov. 1681, relicto Vicario Generali P. Carolo de Noyelle, Germaniae Assistente, qui anno sequenti in Congregatione Generali XII « primo scrutinio ac summo qui unquam fuit aut esse possit suffragiorum concursu, nullo videlicet excepto, praeterquam suo » Praepositus Generalis electus est (cfr. *Instit. S. I.*, edit. Florent., vol. II, pag. 388, C. G. XII, decr. 3).

(1) Domi aderat etiam P. Thomas Stapleton, Procurator Provinciae Angliae, sed cum tam graviter aegrotaret ut ne suffragium quidem ferre potuerit, inter Congregatos Patres computari non potest.

(2) Is in praecedenti Congregatione Generali XIII (an. 1687) dicitur 25 suffragia habuisse ut in Praepositum Generalem eligeretur (cfr. Patrignani Boero, *Menologio*, vol. I, 25 *gennaio*, pag. 478). Proximae quoque Procuratorum Congregationi an. 1693, ut Germaniae Assistens, interfuit.

(3) Cfr. Astráin, *Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España*, vol. VI, pp. 306-315.

(4) Ob decretum Innocentii X de novennali Congregatione, haec habita est an. 1696-1697.

suffragia supra alteram partem ut alterutra pars praevaleat (1).

XXXII. — *1700, 16-19 nov.* — R. P. Thyrso Gonzalez *Praep. Gen. XIII.* — Congregati Patres 31, inter quos PP. Franciscus Guarinus (iterum) et Franciscus Támariz. — Electus est Secretarius P. Ioannes Petrobelli, Procurator Prov. Venetae. — In altera sessione non esse cogendam Congregationem Generalem decretum fuit.

XXXIII. — *1711, 16-19 nov.* (2). — R. P. Michaele Angelo Tamburini *Praep. Gen. XIV.* — Congregati Patres 32, inter quos P. Gulielmus Daubenton (3). — Electus est Secretarius P. Dominicus Viva, Procurator Prov. Neapolitanae. — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam (4).

XXXIV. — *1714, 16-19 nov.* — R. P. Michaele Angelo Tamburini *Praep. Gen. XIV.* — Congregati Patres 22 (5), inter quos iterum P. Gulielmus Daubenton. — Secretarius electus est P. Ioannes Bapt. Giattini, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione, « definitum est non esse cogendam Congregationem Generalem » (6).

---

(1) Cfr. Congr. Gen. XIV, decr. 6 (in *Instit. S. I.*, edit. Florent., vol. II, pag. 413 sq.).

(2) Congregatio Procuratorum quae haberi debebat an. 1703 dilata est, approbante Summo Pontifice, quia post tres annos, ob decretum Innocentii X de Congregatione novennali, Congregatio Generalis cogenda erat; itemque ob pestilentias et bella. Die autem 27 octobris 1605 obiit R. P. Thyrsus Gonzalez, indicta iam Congregatione Generali XV in annum 1706 ineuntem. — Deinde Congregatio Procuratorum quae anno 1709 habenda fuisset, ob bella et pestilentias dilata erat.

(3) Is fuerat biographus et tunc, Assistens Galliae, erat sedulus Postulator causae beatificationis S. Ioannis Francisci Regis.

(4) Post Congregationem solutam, *Acta* referunt longam eamque benevolentissimam « audientiam » qua Patres excepti sunt a Clemente XI, qui benigne accepit memoriale quoddam de quaestionibus tunc maxime exagitatis de ritibus sinensibus etc.

(5) Numerus ita imminutus Patrum Congregatorum inde evenit quod aliquot Provinciae ne electionem quidem Procuratoris facere potuerant, aliqui vero Procuratores electi Romam venire nequiverant: quod tunc temporis haud rarum erat.

(6) In « audientia » Summi Pontificis, de qua *Acta* subdunt narrationem, Clemens XI benignissime inter alia locutus est de causis Sanctorum Societatis.

XXXV. — *1717, 16-19 nov.* — R. P. MICHAELE ANGELO TAMBURINI *Praep. Gen. XIV.* — Congregati Patres 23 (1), inter quos P. Horatius Oliverius (Olivieri) (2). — Secretarius electus est P. Ioannes Bapt. Conti, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « statutum est Congregationem Generalem non esse cogendam » (3).

XXXVI. — *1723, 16-19 nov.* (4). — R. P. MICHAELE ANGELO TAMBURINI *Praep. Gen. XIV.* — Congregati Patres 25 (5), inter quos P. Iosephus de Gallifet (6). — Secretarius electus est P. Andreas Zuccheri, Prov. Venetae Procurator. — In altera sessione « Congregationem Generalem non esse cogendam decretum fuit » (7).

De canonizatione S. Stanislai, quae tunc parabatur, haec dixisse legitur in *Actis*: « Decretum quidem de B. Stanislao in album Sanctorum referendo ad eum usque diem consulto servasse, eo etiam nomine, quo PP. Procuratoribus in unum collectis gratificaret. In eo condendo non solum authenticis documentis, verum etiam Suae ac Praedecessorum Suorum pietati erga Beatum morem gessisse, qui consummatus in brevi, explesset tempora multa, eaque aetate apicem perfectionis assequutus esset, qua nullus alius legitur Confessor inter Sanctos adlectus ». — Deinde: « Conversus ad P. Assistentem Galliae (P. Daubenton), nunc - ait - procedendum ad Patrem de Regis! sed antea Cardinalis Bellarmini causa versanda: sincere optamus hunc haereticorum malleum honorari ». — Complures deinde Indulgentias singulis Patribus distribuendas concessit.

(1) Decem Provinciae Procuratorem mittere non potuerant.

(2) Is, Italiae Assistens, etiam superiori Congregationi adfuerat, et proximis quoque duabus adfuit.

(3) Post haec in *Actis* additur narratio de benignissima « audientia » Summi Pontificis Clementis XI.

(4) Evolutum erat sexennium a postrema Procuratorum Congregatione: « nam quae post triennium cogenda fuerat Congregatio, interclusis ad iter agendum viis suspicione contagii, ex postulato maioris partis Provinciarum obtenta fuit a Pontifice dispensatio ne cogeretur »; sed etiam hoc anno 1723 deerant Procuratores novem Provinciarum.

(5) In *Actis* elenchus Patrum exhibet tantum 24 nomina, sed cum deinde aperte dicatur P. Valentinus Queck, Germaniae Assistens, quamvis aegrotus, suffragium suum consueta ratione dedisse, ille quoque computandus est. — De hoc Patre Queck cfr. supra ad Congreg. Procur. XIII, nota.

(6) Clarissimus is est promotor cultus SS. Cordis Iesu, spiritualis quasi heres B. Claudii de la Colombière: erat tunc Romae Assistens Galliae.

(7) Prima vice in *Actis* notatur Patrem Generalem in allocutione altera proposuisse « ut quisque polliceretur oblaturum se unum saltem Missae sacrificium pro quolibet ex Congregatis, ubi primum de eius obitu certior fieret; quod quidem facile obtinuit ». Dicitur tamen id « alias congregatis ex simili causa Patribus

XXXVII. — *1727, 16-19 nov.* (1). — R. P. MICHAELE ANGELO TAMBURINI *Praep. Gen. XIV.* — Congregati Patres 23, inter quos futurus Praepositus Generàlis P. Franciscus Retz (2) et iterum P. Iosephus de Gallifet. — Electus est Secretarius P. Antonius Maria Baletti, Prov. Mediolanensis Procurator. — In altera sessione « decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam ».

XXXVIII. — *1737, 16-19 nov.* (3). — R. P. FRANCISCO RETZ *Praep. Gen. XV* (4). — Congregati Patres 28, inter quos futurus Prae-

proponi solitum » fuisse. Id vero semel iterumve de subsequentibus Congregationibus commemoratur, ac deinceps nihil amplius simile dicitur. Nunc hic mos penitus obsolevit. — De « audientia » Summi Pontificis (Innocentii XIII) notatur primum hac vice, sed videtur res iampridem usitata, praeter PP. Congregatos et Secretarium Societatis adesse solere etiam Procuratorem Generalem, « et Fratres Coadiutores Socios Procuratorum » qui postremi tamen, post sacri pedis deosculationem, ex aula exibant.

(1) Benedictus XIII permiserat ut omitteretur Congregatio Generalis, quae habenda fuisset (ex decreto Innocentii X nondum abrogato) anno 1727, sed voluit ut pro ea cogeretur Congregatio Procuratorum. Attamen haud paucae Provinciae Procuratorem mittere non potuerunt praesertim ob penuriam qua premebantur; ac praeterea P. Daniel Boniot, Procurator Aquitaniae, in itinere obierat Massiliae.

(2) Post mortem R. P. Tamburini, is, Germaniae Assistens, electus est Vicarius Generalis in Congregatione ad hoc adunata (nam nullus relictus erat Vicarius a Generali defuncto), et deinde in Congregatione Generali XVI, die 30 nov. 1730, « mira et numquam satis laudanda animorum consensione, primo scrutinio, et omnium suffragiis (unico, praeter suum, excepto) electus est in Praepositum Generalem » (*Instit. S. I.*, edit. Florent., vol. II, pag. 426, C. G. XVI, decr. 3),

(3) Habita Congregatione Generali XVI (an. 1730-1731) ad novum Praepositum Generalem eligendum, Procuratorum Congregatio habenda fuisset anno 1734; sed, ex dispensatione apostolica, « propter bellorum tumultus » dilata est in annum 1737.

(4) In prima allocutione, R. P. Retz, post commemoratam recentem S. Ioannis Francisci Regis canonizationem, addidit « ...quod a regimine Societatis universae suscepto [nondum effluxerant 7 anni] sex e Societate ad orthodoxam fidem sustinendam sanguinem profudisse cognoverit [Martyres Tunkinii in primis, PP. Kratz et Socios, ut videtur, innuere volebat] ; atque inter viros eximiis virtutibus praestantes, qui Societatem reddidere illustrem, vidisse se Romae P. Franciscum Galluzzi, apostolicum nempe hominem, innocentia, austeritate vitae, laboribusque in proximorum salutem exantlatis mire insignem, qui tali apud summos etiam Romanae Curiae viros sanctitatis fama floruit, ut eius funera Praesulum et Cardinalium affluentia tanta sint decorata, quanta vix potuerit Roma in ceterorum Sanctorum morte demirari ». Notat etiam R. Pater Societatem tunc « ad 20 millia capita » crevisse. — In altera allocutione plura dixit de cultu S. Ioannis Nepomuceni in Societate promovendo, quae alias referemus.

positus Generalis P. Ignatius Visconti, Prov. Mediolanensis Procurator (1). — Electus est Secretarius P. Franciscus Volunius Piccolomini, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione Congregationem Generalem non esse cogendam decretum est.

XXXIX. — *1746, 19-22 nov.* (2). — R. P. Francisco Retz *Praep. Gen. XV.* — Congregati Patres 19, inter quos PP. Ignatius Visconti, Petrus de Cespedes (3), Antonius Timoni (4). — Secretarius electus est P. Vespasianus M. Trigona, Procurator Prov. Siculae (5). — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam (6).

---

(1) De Patre Visconti in fine Congregationis haec habent *Acta*: « Tandem, ut Congregationi solatium augeret amantissimus Pater [Generalis], e gremio Procuratorum in defuncti Patris Antonii Casati Italiae Assistentis locum [qui paulo ante hanc Procuratorum Congregationem obierat], se cum consilio Patrum Assistentium elegisse P. Ignatium Visconti, enunciavit. Gratissimum omnibus Congregatis accidit hominem tanta sapientia praeditum, et gubernationibus feliciter gestis necnon religiosae vitae fama insignem, Assistentis munere esse decoratum». — Nullum autem dubium quin electionem a se designatam Pater Generalis Provincialibus proposuisset eorumque plura medietate suffragia affirmativa accepisset.

(2) « Novennium a coacta ultima PP. Procuratorum Congregatione interlapsum est: gliscentes enim per totam fere Europam bellorum tumultus a celebrandis tertio quoque anno comitiis huiusmodi... omnino prohibuere. Quare ab anno 1737, ex dispensatione Apostolica, nullus fuit Patrum Procuratorum coetus convocatus ». Haec *Acta;* sed etiam hoc anno 1746 sexdecim Provinciae Congregationem Provincialem cogere non potuerant.

(3) Cfr. supra ad Congreg. Procur. XIII, nota. — Adfuit etiam proximae Congregationi Procuratorum (an. 1749).

(4) Is fuit deinde Praepositus Prov. Romanae (1748-1751), Procurator Generalis (1756-1758), Vicarius Generalis post mortem R. P. Aloisii Centurione (1757-1758), Secretarius Societatis (1758-1761), et tandem Assistens Italiae (an. 1761).

(5) Is fuit deinde Assistens Italiae (1755-1761).

(6) Die 30 nov. 1746 Summus Pontifex Benedictus XIV Congregatos Patres (et alios, ut diximus, addi solitos) excepit in nostra Domo probationis S. Andreae, quo ipse se contulit, templum S. Andreae in festo titulari invisurus. Libellum supplicem Indulgentiarum a Procuratore Generali benigne accepit, cui postero die rescripsit concedens « A. R. P. N. Generali, cuilibet ex PP. Assistentibus, P. Secretario, et omnibus ac singulis Provinciarum Procuratoribus duodecim millia Indulgentiarum plenariarum, Fratribus vero eorum omnium sociis, quingentas huiusmodi Indulgentias, Religiosis viris, aliisve Fidelibus pro lubitu applicandas ». Ita expressis verbis in *Actis*.

XL. — *1749, 16-19 nov.* (1). — R. P. FRANCISCO RETZ *Praep. Gen. XV.* — Congregati Patres 23, inter quos, praeter P. Ignatium Visconti, alius futurus Praepositus Generalis aderat P. Aloisius Centurione, Provinciae Mediolanensis Procurator. — Electus est Secretarius P. Dominicus Franchini, Romanae Provinciae Procurator, omnium Congregatorum professione iunior (2). — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam (3).

Atque haec fuit postrema antiquae Societatis Procuratorum Congregatio, Nam: vita functo R. P. Retz († 19 nov. 1750), anno 1751 habita est Congregatio Generalis XVII, in qua electus Praepositus Generalis R. P. Ignatius Visconti. Anno 1754 Congregatio Procuratorum, petentibus fere omnibus Provinciis et approbante Summo Pontifice Benedicto XIV, omissa est. Deinde, ob breve admodum regimen duorum PP. Generalium Ignatii Visconti et Aloisii Centurione, annis 1755 et 1758 habitae sunt Congregationes Generales XVIII et XIX. Demum, sub R. P. Laurentio Ricci, annis 1761, 1764, 1767, ob difficilem Societatis condicionem, Procuratorum atque etiam Provinciales Congregationes omissae sunt, consultis prius omnibus Provincialibus et Patribus ad Congregationes Provinciales ius habentibus iisque fere unanimiter consentientibus, accedente etiam consensu Summi Pontificis Clementis XIII. — Post annum autem 1767 ne cogitari quidem poterat de huiusmodi conventibus habendis, cum Societas, quae iam e Lusitania eiusque dominio pulsa erat, ex Hispania aliisque fere omnibus regionibus expelli coepta est, donec die 21 iulii 1773 est suppressa.

Restituta Societate a Pio VII anno 1814, cum Societas iuventutem suam renovare deberet priusquam plenam suae vitae rationem instaurare posset, Congregationes Procuratorum nullae habitae sunt sub Praepositis Generalibus Thaddaeo Brzozowski (qui ceteroquin numquam Romam venire potuit) et Aloisio Fortis. — Congregatio autem Generalis XXI (decr. 10) novo Praeposito Generali R. P. Ioanni Roothaan commendavit ut in

---

(1) Sublata penitus et in perpetuum a Benedicto XIV obligatione cogendi Congregationem Generalem singulis novenniis, plenam vim obtinuit lex de Congregationibus triennalibus Procuratorum. Sed etiam hac vice septem Provinciae Procuratorem eligere et mittere non potuerunt.

(2) Is fuit deinde ultimus Procurator Generalis antiquae Societatis (1758-1773).

(3) De « audientia » Summi Pontificis, in Palatio Pontificio habita, eadem fere commemorant *Acta* quod ad numerum Indulgentiarum, addito tamen eas « iuxta certas leges » distribuendas esse.

posterum servari curaret, quae de hac re praescripta sunt in Instituto. Itaque iam primo triennio post illam Generalem Congregationem indicta est prima restitutae Societatis Procuratorum Congregatio in annum 1832.

XLI. — *1832, 16-19 nov.* — R. P. IOANNE ROOTHAAN *Praep. Gen. XXI.* — Congregati Patres 14, inter quos PP. Vincentius Pavani et Ioannes Rozaven, quorum primus fuerat Vicarius Generalis post mortem R. P. Fortis et tribus quoque proximis Congregationibus Procuratorum interfuit, alter aliis quinque item Procuratorum Congregationibus adfuit. — Congregatio habita est « iuxta antiquam maiorum nostrorum consuetudinem » in Archivo Domus Professae (1). — Electus est Secretarius P. Carolus Grossi, Prov. Taurinensis Procurator. — In altera sessione decretum fuit Congregationem Generalem non esse cogendam.

XLII. — *1835, 29 nov.-2 dec.* — R. P. IOANNE ROOTHAAN *Praep. Gen. XXI.* — Congregati Patres 15, inter quos P. Stephanus Dubuisson, Procurator Prov. Marylandiae (2). — Secretarius electus est (3) P. Rosarius Parisi, Prov. Siculae Procurator. — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam.

XLIII. — *1838, 16-19 nov.* — R. P. IOANNE ROOTHAAN *Praep. Gen. XXI.* — Congregati Patres 16, inter quos P. Iacobus Pierling (4). — Secretarius electus est idem qui anno 1832, id est P. Carolus Grossi, Procurator Prov. Taurinensis. — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam.

XLIV. — *1841, 16-19 nov.* — R. P. IOANNE ROOTHAAN *Praep. Gen. XXI.* — Congregati Patres 19, inter quos PP. Emmanuel Gil, Fran-

---

(1) Nisi aliter notetur, etiam sequentes Congregationes in eadem Archivi Aula habitae sunt.

(2) Tunc primum scilicet Societatis comitiis adesse coepit quidam ex Provinciis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis advectus.

(3) Ni fallimur, tunc primum accidit quod ter instítui debuerit suffragatio ad Secretarium eligendum, quia in duobus primis scrutiniis duo Patres eundem omnino suffragiorum numerum obtinuerant.

(4) Is, Assistens Germaniae renuntiatus anno 1850, post mortem R. P. Roothaan fuit Vicarius Generalis, deinde, Assistens Germaniae confirmatus, hoc munere functus est usque ad mortem († 1870).

ciscus Xav. de Ravignan et Petrus Kenney (1). — Secretarius electus est P. Iosephus Ferrari (2), Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « non esse cogendam Congregationem Generalem decretum fuit ».

XLV. — *1844, 16-19 nov.* — R. P. IOANNE ROOTHAAN *Praep. Gen. XXI.* — Congregati Patres 16 (3), inter quos PP. Ioannes Ianssen (4) et Achilleus Guidée. — Electus est Secretarius P. Bonaventura Benetti, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione statutum est esse Congregationem Generalem non esse cogendam.

XLVI. — *1847, 16-19 nov.* — R. P. IOANNE ROOTHAAN *Praep. Gen. XXI.* — Congregati Patres 20, inter quos P. Aloisius Taparelli d'Azeglio (5) et Austriacae Provinciae Procurator P. Petrus Beckx, Praepositus Generalis mox futurus. — Electus est Secretarius iterum P. Bonaventura Benetti (6), Procurator Prov.

---

(1) P. Petrus Kenney, qui Congregationi Generali XXI (an. 1829) interfuerat, magnam partem habuit in constituenda Viceprovincia Hiberniae. — De eo in hac Congregatione Procuratorum legitur in *Actis* a prima sessione abstinuisse, cum levis febricula pridie eum lecto affixisset; in secunda vero sessione adfuit « etiam P. Petrus Kenney, qui, licet nihil remisisset morbus quo afflictabatur, immo difficultas respirationis valde gravior facta esset, tamen voluit huic sessioni interesse, et duorum Fratrum Coadiutorum sustentatus auxilio, stupentibus omnibus, ingressus est Aulam, et ipse cum aliis Patribus Congregatis consedit in loco suo. Scilicet nec optimus Pater nec alius quisquam suspicabatur hanc vitae illius actionem futuram esse ultimam! Nam statim a prandio apoplexia correptus est; et medicae artis remediis frustra tentatis, Ecclesiae Sacramentis (excepto SS. Viatico) rite munitus, inter moerentium Sociorum preces ad primam circiter noctis horam placidissime vita excessit... ».

(2) Is interfuit etiam Congregationi Procuratorum XLVI (an. 1847) Provinciae Venetae recens restitutae Procurator, ac dein, Assistens Italiae electus, etiam Congregationibus XLVII et XLVIII (an. 1856 et 1862).

(3) Deerant Procuratores Provinciae Hispaniae et Provinciarum transmarinarum, quae iustis de causis Provinciales Congregationes non coegerant.

(4) Is Secretarius Societatis fuerat annis 1829-1844, et, Assistens Germaniae factus, huic atque proximae Congregationi Procuratorum (an. 1847) adfuit.

(5) De hoc clarissimo iuris naturalis magistro etiam nuper Summus Pontifex Pius XI honorificam admodum mentionem fecit in Litteris Encyclicis « Divini illius Magistri » de christiana iuventutis educatione die 31 dec. 1929 datis; in iis enim, post relatum ex eo quendam locum ex libro *Saggio teoretico di Diritto naturale*, haec dicuntur in nota: «...Opus quod numquam satis laudari potest vel iuvenibus commendari, qui studiorum Universitates frequentant. Cfr. sermonem Nostrum die 18 decembris 1927 habitum » (*Acta Apost. Sedis*, vol. XXII, 1930, pag. 65).

(6) Is fuit deinde Secretarius Societatis annis 1853-1857.

Romanae. — In altera sessione « patuit Congregationem Generalem non esse cogendam » (1).

XLVII. — *1856, 16-19 nov.* (2). — R. P. PETRO BECKX *Praep. Gen. XXII.* — Congregati Patres 21, inter quos PP. Emmanuel Gil (3), Ioannes Etheridge (4), Franciscus Pellico (5), Elesbanus de Guilhermy. — Electus est Secretarius P. Franciscus Xav. Patrizi, Prov. Romanae Procurator. — In secunda sessione Congregationem Generalem non esse cogendam statutum est.

XLVIII. — *1862, 17-20 nov.* (6). — R. P. PETRO BECKX *Praep. Gen. XXII.* — Congregati Patres 23, inter quos PP. Petrus Viscardini (7) et Franciscus Xav. Gautrelet (8). — Electus est Secretarius P. Pascalis Cambi, Procurator Prov. Romanae (9).

---

(1) In *Actis* additur post solutam Congregationem Patres redegisse memoriale eique subscripsisse, quod Summo Pontifici Pio IX esset offerendum ad Societatis obedientiam profitendam erga Ipsum et Sanctam Sedem contra calumniosas insinuationes huc illuc sparsas. — Hunc libellum nomine omnium Sanctitati Suae obtulerunt die 1 decembris 1847 P. Bonaventura Benetti Congregationis Secretarius et P. Petrus Beckx, ad id delecti, quos Summos Pontifex benignissime excepit affirmavitque nulla simili protestatione opus esse, cum optime nosset Societatis obedientiam plenam atque perfectam.

(2) Anno 1850 Societas dispersa erat atque etiam ipse Praepositus Generalis sua sede exturbatus; indicta deinde est Congregatio Generalis XXII in annum 1853, et interea mortuus erat R. P. Roothaan († 8 maii 1853) magna cum sanctitatis fama.

(3) Is, qui iam aderat in Congregatione Procuratorum XLIV (an. 1841), huic et proximis aliis tribus adfuit ut Assistens Hispaniae, quo munere solidos 27 annos functus est (1853-1880).

(4) Is erat primus Assistens Angliae; quo munere deposito, in Congregatione Procuratorum XLIX (an. 1865) iterum adfuit ut Procurator Prov. Angliae.

(5) Aderat huic Congregationi ut Procurator Prov. Lugdunensis: fuerat Assistens Italiae annis 1850-1853; mortuus est anno 1884 magna cum sanctitatis fama. Frater erat germanus celeberrimi italici scriptoris Silvii Pellico.

(6) Anno 1859 Congregatio Procuratorum haberi nequivit ob perturbationes civiles in Italia. — Hoc anno 1862, pro die 16 nov., die 17 nov. habita est prima sessio « ratione festi solemnissimi in honorem SS. Martyrum Iaponensium (eo anno canonizatorum) in templo nostro et domi celebrati ».

(7) Insignis is erat Novitiorum Magister, qui anno 1838 perillustrem habuerat regendum novitium P. Carolum Odescalchi, cardinalitia et episcopali dignitate abdicantem, et sanctitatis fama iam clarum.

(8) Sanctitate clarus et Apostolatus Orationis institutor.

(9) Fuerat hic a R. P. Roothaan annis 1848-1850 constitutus Vicarius Generalis pro Italia, dum ipse inde aufugere debuerat. Proximis quoque duabus Congregationibus Procuratorum interfuit in iisque iterum atque tertio electus est Secretarius Congregationis.

— In altera sessione « decretum est non esse cogendam Congregationem Generalem ».

XLIX. — *1865, 16-19 nov.* — R. P. Petro Beckx *Praep. Gen. XXII.* — Congregati Patres 24. — Electus est Secretarius iterum P. Paschalis Cambi, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam ».

L. — *1868, 16-19 nov.* — R. P. Petro Beckx *Praep. Gen. XXII.* — Congregati Patres 26, inter quos P. Elesbanus de Guilhermy (iterum), sanctus ille vir P. Paulus Ginhac, et P. Antonius M. Anderledy futurus Praepositus Generalis. — Electus est Secretarius (tertio) P. Paschalis Cambi, Procurator Prov. Romanae. — In secunda sessione « apparuit Congregationem Generalem non esse cogendam » (1).

LI. — *1886, 8-11 sept.* (2). — R. P. Antonio M. Anderledy *Vicar. Gen. perp.* (3). — Congregatio habita est Faesulis in templo S. Hieronymi: haec est prima huiusmodi Societatis Congregatio, quae extra Urbem celebrata sit (4). — Congregati Patres 28,

(1) Paulo post solutam hanc Procuratorum Congregationem, iisque omnibus adhuc in Urbe commorantibus, die 23 nov. in Domo probationis S. Andreae sollemnis habita est commemoratio III centenarii S. Stanislai Kostka, quem R. Pater Beckx, omnibus Provinciarum Procuratoribus adstantibus, « auspicem, praesidem, et Patronum particulariter omnium Novitiorum Societatis Iesu » edixit. — Cfr. A. Calvet, *Vie du P. Paul Ginhac*, c. VII, pag. 145 (4ª edit., 1906).

(2) Congregatio Procuratorum, quae anno 1871 haberi debebat, ob rerum publicarum perturbationem dilata erat. Cum vero Praepositus Generalis anno 1873 Roma discedere coactus esset et Societas in tota Italia esset dispersa, intermissae sunt Procuratorum Congregationes. Ut incommodis occurreretur, quae ex hac intermissione ultra spem producta oriri poterant, anno 1876 R. P. Beckx praescripsit ut in omnibus Provinciis extraordinaria aliqua Consultatio haberetur de disciplina Provinciae et de detrimentis quae forte Provincia passa esset (cfr. *Epist. select. ad Super.*, pag. 153). — Cum autem Congregatio Generalis XXIII, in qua R. P. Anderledy Vicarius cum iure successionis electus erat (an. 1883), decreto 13 rursus commendasset ut Procuratorum Congregationes rite habendae curarentur, hoc anno 1886 indicta est Congregatio, sed Faesulis mense septembri (non Romae mense novembri, ut huc usque fiebat) habenda.

(3) A. R. P. Petrus Beckx tunc Romae degebat et totum Societatis regimen Vicario reliquerat: per litteras tamen Patribus Congregatis salutem dixerat, quas P. Vicarius in prima sessione magna cum omnium veneratione exceptas legit.

(4) Nullus iam aderat, si Patrem ipsum Vicarium excipias, qui aliis huiusmodi Congregationibus interfuisset.

inter quos PP. Ioannes Ios. de la Torre (1), Secundus Franco, Georgius Porter (2), Mauritius Meschler (3) et, omnium professione iunior, futurus Praepositus Generalis P. Ludovicus Martin, Castellanae Provinciae Procurator. — Electus est Secretarius P. Hugo Molza, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione decretum fuit Congregationem Generalem non esse cogendam. — « Antequam Patres e templo discederent, stantibus omnibus, antiquissimus Professorum P. Secundus Franco, Procurator Taurinensis, loquendi venia a R. P. Vicario impetrata, tria Patribus Congregatis proposuit ». Haec autem erant: *a*) Ut gratiae agerentur P. Vicario ab obtentas Litteras Apostolicas « Dolemus inter » in confirmationem omnium privilegiorum et Instituti Societatis (4); — *b*) Ut supplex libellus nomine totius Societatis ab omnibus subscriptus mitteretur Summo Pontifici Leoni XIII in grati animi signum ob tantum beneficium; — *c*) Ut epistolam communem mitterent A. R. P. Beckx « ad testandum iugem totius Societatis erga parentem dulcissimum amorem et obsequium ». — Omnes autem libentissimo animo annuerunt (5).

LII. — *1889, 9-12 sept.* — R. P. ANTONIO M. ANDERLEDY *Praep. Gen. XXII* (6). — Congregati Patres 28, inter quos PP. Ferdinandus Canger et Ioannes Ios. Urráburu. — Congregatio habita est Faesulis (7): convenerunt Patres « in odeum prope aulam domesticis recreationibus assignatum, ... unde facili aditu in aulam descendentes suo loco consederunt » (8). — Electus est Secretarius P. Thomas Ghetti, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « haec fuit sententia: Congregationem Generalem non esse cogendam ». — Antequam Patres discederent, Pater Gene-

---

(1) Assistens Hispaniae per 23 annos (1883-1906), huic et quatuor aliis proximis Congregationibus adfuit.

(2) Deinde fuit Archiepiscopus Bombayensis († 1889).

(3) Is etiam proximae Congregationi (an. 1889) interfuit ac deinde, Assistens Germaniae factus, aliis quoque tribus usque ad annum 1906, quo a munere Assistentis cessavit.

(4) Cfr. supra, pag. 61.

(5) In *Actis* hae duae communes epistolae referuntur integrae.

(6) A die 4 mart. 1887, quo R. P. Beckx obierat, pleno nomine et iure Praepositus Generalis factus erat.

(7) Haec est secunda et, huc usque, ultima Procuratorum Congregatio extra Urbem celebrata.

(8) Quae « aula » videtur fuisse ipsum S. Hieronymi templum, ut anno 1886 factum fuerat.

ralis quaesivit num communes litteras filiorum instar mittere vellent Summo Pontifici Leoni XIII; quod omnes probaverunt et nomina sua litteris subscripserunt (1).

LIII. — *1896, 27-30 sept.* (2). — R. P. LUDOVICO MARTIN *Praep. Gen. XXIV.* — Congregati Patris 28, inter quos PP. Rogerius Freddi (3), Matthaeus Ciravegna (4), Rudolphus Cornely et (iterum) Ioannes Ios. Urráburu, qui, Prov. Castellanae Procurator, electus est Secretarius (5). — Congregatio habita est Romae in aula magna Collegii Germanici-Hungarici (6). — In altera sessione « sententia fuit non esse cogendam Congregationem Generalem ».

LIV. — *1899, 27-30 sept.* — R. P. LUDOVICO MARTIN *Praep. Gen. XXIV.* — Congregati Patres 28, inter quos PP. Rudolphus Cornely (iterum), Stanislaus Zaleski, Rudolphus van Oppenraaij (7). — Electus est Secretarius P. Alexander Gallerani, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione « hoc fuit decretum: Congregationem Generalem non esse cogendam ».

LV. — *1902, 27-30 sept.* — R. P. LUDOVICO MARTIN *Praep. Gen. XXIV.* — Congregati Patres 28, inter quos P. Eduardus Fine (8). — Electus est Secretarius P. Salvator M. Brandi,

(1) Has litteras integrae in *Actis* referuntur.

(2) Exinde, hoc tempus (27-30 sept.) semper huc usque servatum est pro Procuratorum Congregatione.

(3) Is, Italiae Assistens ab anno 1892 ad 1914, omnibus Congregationibus per illos annos celebratis adfuit et anno 1906 post mortem R. P. Martin fuit Vicarius Generalis.

(4) Assistens Italiae fuerat (1883-1892), et qua talis Congregationibus Procuratorum LI et LII interfuerat: nunc electus erat Procurator Prov. Taurinensis.

(5) Professione iunior inter Procuratores hoc anno erat P. Petrus Finlay († 1929), qui deinde a sua Prov. Hiberniae toties electus est cum ad Congregationes Generales tum ad Procuratorum, ut supra innuitur (pag. 58).

(6) Novus Praepositus Generalis a Congregatione XXIV Loyolae electus (an. 1892), e mandato ipsius Congregationis, reditum Praepositi Generalis eiusque Curiae in Urbem prudenter curaverat, et sedem (provisoria utique ratione) in Collegio Germanico-Hungarico fixerat, ubi omnes sequentes Congregationes habitae sunt usque ad LIX inclusive (an. 1927).

(7) Hic etiam proximae Congregationi adfuit (an. 1902); deinde, anno 1915 electus Assistens Germaniae et etiam nunc eodem munere fungens, ultimis omnibus Congregationibus interfuit.

(8) Is Galliae Assistens ab anno 1900 ad 1923, omnibus Congregationibus adfuit per illos annos celebratis; anno autem 1914, post mortem R. P. Wernz, fuit Vicarius Generalis.

Procurator Prov. Neapolitanae. — In altera sessione « sententia fuit non esse cogendam Congregationem Generalem ».

LVI. — *1910, 27-30 sept.* (1). — R. P. Francisco Xav. Wernz *Praep. Gen. XXV.* — Congregati Patres 33, inter quos, praeter hodiernum Praepositum Generalem (tunc Germaniae Assistentem) P. Wlodimirum Ledóchowski, P. Hermannus Walmesley (2) et duo hodierni Assistentes Italiae et Americae PP. Petrus Boetto et Aemilius Mattern (tunc suae quisque Provinciae Procurator). — Secretarius electus est P. Petrus Tacchi Venturi, Procurator Prov. Romanae (3). — In altera sessione decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam. — Cfr. *Acta Romana,* vol. I, 1910, pp. 51-71, 118.

LVII. — *1913, 27-30 sept.* — R. P. Francisco Xav. Wernz *Praep. Gen. XXV.* — Congregati Patres 33, inter quos, praeter P. Wlodimirum Ledóchowski, aderant PP. Thomas Gannon et Franciscus de Paula Nalbone, ille primus Americae Assistens, hic proximus Italiae Assistens (4), mox futuri. — Secretarius electus est P. Iosephus Marini, Procurator Prov. Venetae. — In altera sessione Congregationem Generalem non esse cogendam decretum est (5). — Cfr. *Acta Romana,* vol. I, 1913, pp. 69-84, 141.

LVIII. — *1920, 27-30 sept.* (6). — R. P. Wlodimiro Ledóchowski *Praep. Gen. XXVI.* — Congregati Patres 36 (7), inter quos

---

(1) Congregatio, quae anno 1905 haberi debuisset, ob morbum R. P. Ludovici Martin dilata fuerat; superveniente autem eiusdem Rev. Patris obitu, anno 1906 celebrata est Congregatio Generalis XXV. — Ab hac Congregatione et deinceps coeptae sunt in *Actis Romanis* typis edi binae allocutiones, quas Praepositus Generalis ad PP. Procuratores habere solet, itemque Elenchus PP. Congregatorum.

(2) Is, Angliae Assistens, adfuit quoque proximis duabus Congregationibus, annis 1913 et 1920.

(3) Is deinde Secretarius Societatis fuit annis 1914-1921, et hoc anno 1930 in Congregatione Procuratorum LX, iterum Congregationis Secretarius electus est (cfr. supra, pag. 520).

(4) Is, ut Assistens (1914-1930) adfuit etiam Congregationibus LVIII (an. 1920) et LIX (an. 1927); deposito deinde munere, Procurator Prov. Siculae aderat Congregationi nuper habitae: v. supra, pag. 516.

(5) In *Actis* additur narratio de « audientia » Summi Pontificis Pii X.

(6) Congregatio Procuratorum, quae anno 1918 convenire debuisset, ob bellum Europaeum in opportunius tempus dilata erat.

(7) Aderat tunc primum Procurator Prov. Argentino-Chilensis: is erat P.

PP. Iosephus Barrachina (1), Radulphus de Scorraille (2) et Antonius Astráin. — Electus est Secretarius P. Benedictus Ojetti, Procurator Prov. Romanae. — In altera sessione Congregationem Generalem non esse cogendam decretum est (3). — Cfr. *Acta Romana,* vol. III, 1920, pp. 233-261; *Memorabilia S. I.,* vol. I, 1920, pp. 340-343 (4).

LIX. — *1927, 27-30 sept.* (5). — R. P. Wlodimiro Ledóchowski *Praep. Gen. XXVI.* — Congregati Patres 41 (6). — Secretarius electus est P. Ioachimus Diamantes Alberti Procurator Prov. Venetae. — In altera sessione statutum est Congregationem Generalem non esse cogendam. — Cfr. *Acta Romana,* vol. V, 1927, pp. 678-692; *Memorabilia S. I.,* vol. III, fasc. II, 1927, pp. 57-60, 77-83.

LX. — *1930, 27-30 sept.* — R. P. Wlodimiro Ledóchowski *Praep. Gen. XXVI.* — Congregatio habita est, nunc primum, in novis aedibus Praepositi Generalis ad clivum Ianiculi collis erectis. — Congregati Patres 45. — Secretarius electus est P. Petrus Tacchi Venturi, Prov. Romanae Procurator. — In altera sessione « constitit Congregationem Generalem non esse cogendam».

Ceterum, de hac LX Congregatione totus est hic « Memorabilium » fasciculus.

Ioachimus Añon, Substitutus, nam Procurator electus, P. Iosephus Giné, mortuus erat paulo ante quam ex America solveret.

(1) Is, Assistens Hispaniae, adfuit proximae quoque Congregationi LIX an. 1927 († 1929).

(2) Is adfuerat etiam Congregationibus Procuratorum XLI (an. 1886) et LVI (an. 1910).

(3) Omissa est tunc primum lectio decretorum Urbani VIII, Clementis X et Benedicti XIV, quae, novo Codice promulgato, iam non urgent.

(4) Ibidem (pag. 341) narratur etiam initium festorum ter saecularium in honorem S. Ioannis Berchmans, ad cuius aram omnes Assistentes et Procuratores, praeeunte Patre Nostro, sese contulerunt die 3 oct. 1920, « ut Societas tota cum suo capite ipsiusque consilio supremo prima [caeliti Iuveni] laudum munera offerret ».

(5) Anno 1923, ut notum est, habita erat Congregatio Generalis XXVII.

(6) Aderant tunc primum (nam PP. Petrus Boetto, Rodulphus van Oppenraaij, Aemilius Mattern iam alias adfuerant, ut suis locis notatum est) hodierni Assistentes PP. Norbertus de Boynes, Iosephus Welsby, Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, qui postremus tunc suae Prov. Legionensis Procurator erat (cfr. supra, pag. 517, nota 3ª).

Totam hanc sexaginta Procuratorum Congregationum seriem consideranti facile apparet vix non semper earum decreta fuisse de non cogenda Congregatione Generali.

Et sane:

1) *Semel* tantum habita est Congregatio Generalis ex decreto Congregationis Procuratorum XI (1606).
2) *Iterum* anno 1693 in Congregatione Procuratorum XXXI decretum est Congregationem Generalem esse cogendam, sed decretum incertum est habitum et rite invalidatum (1).
3) *In reliquis omnibus Congregationibus* decretum est Congregationem Generalem non esse cogendam.

SI SECUNDUM PRAEPOSITOS GENERALES (2), *distribuantur hae sexaginta Congregationes*:

a) *Nullam* habuerunt (praeter S. P. Ignatium et P. Lainez, ut patet) PP. Carrafa, Piccolomini, Gottifredi, Visconti, Centurione, Ricci, Brzozowski, Fortis;

b) *Unam* habuit P. de Noyelle;

c) *Duas* habuerunt S. Franciscus Borgia et PP. Mercurianus, Nickel, Anderledy (3), Wernz;

d) *Tres* PP. Gonzalez, Retz, Martin, Ledóchowski;

e) *Quatuor* habuit P. Beckx;

f) *Quinque* P. Tamburini;

g) *Sex* habuerunt PP. Oliva et Roothaan;

h) *Octo* PP. Aquaviva et Vitelleschi.

---

(1) V. supra, pag. 535.

(2) Dicimus Praepositos Generales qua tales, nam multi his Congregationibus interfuerunt ante generalatum (v. gr. PP. Carrafa, Piccolomini, Visconti etc.), sed de hoc non habetur ratio in hac computatione facienda.

(3) Primam habuit P. Anderledy ut Vicarius Generalis, vivente adhuc P. Beckx, sed etiam haec ei tribuitur potius quam Patri Beckx, quia hic absens erat et omne regimen Vicario tradiderat.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO 1930

MISSIONES	PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA					
Albania	Veneta	**19**	**4**	**22**	**45**
IN ASIA					
Armenia *(dispersa)*	Lugdunensis	4	—	2	6
Ceylan: *Gallensis*	Belgica	39	13	10	62
» *Trincomaliensis*	Campaniae	19	2	6	27
India: *Bombayensis* (1)	Aragoniae.	53	51	21	125
» *Calcuttensis-Ranchensis*	Belgica	178	81	21	280
» *Calicutensis*	Veneta	53	29	19	101
» *Goana*	Lusitana	19	11	5	35
» *Madurensis (Vpr. dep.)*	Tolosana	165	69	42	276
» *Patnensis*	Missouriana	20	20	6	46
» *Poonensis* (1).	Germ. Sup.	22	1	6	29
Iaponia: *Hiroshima*	Germ. Inf.	13	2	—	15
» *Tokyo (Univ.)*	Germ. Inf.	14	—	4	18
Iava: *Bataviae*	Neerlandica	72	38	10	120
Philippinae: *Mindanao*	Maryl.-N. E.	44	1	23	68
Sinae: *Ankinensis*	Legionensis	24	7	6	37
» *Hongkong*	Hiberniae	9	4	—	13
» *Nankinensis*	Franciae	130	34	36	200
» *Pengpu*	Taurinensis	17	5	2	24
» *Shiuhing*	Lusitana	16	5	4	25
» *Sienhsien*	Campaniae	66	37	24	127
» *Wuhu*	Castellana	28	7	5	40
Syria	Lugdunensis	82	18	40	140
	Universi	**1087**	**435**	**292**	**1814**
IN AFRICA					
Aegyptus	Lugdunensis	28	4	9	41
Africa Merid.: *Broken Hill*	Polon. Min.	13	—	16	29
» *Coloniae Capitis.*	Angliae.	16	—	6	22
» *Salisbury*	Angliae.	48	—	27	75
Congo: *Kwangensis.*	Belgica	68	23	17	108
Madagascar: *Fianarantsoa*	Campaniae	47	3	11	61
» *Maurice*	Tolosana	5	—	1	6
» *Tananarivensis*	Tolosana	55	13	14	82
	Universi	**280**	**43**	**101**	**424**
IN AMERICA					
Inter aborigenes: *Adamantea Matto Gross.*(2)	Brasil. Central	2	—	1	3
» *Alaskae Australis*	Californiae	6	—	—	6
» *Alaskae Borealis*	Californiae	18	1	9	28
» *Caughnawagensis*	Canad. Inf.	4	—	3	7
» *Dakotae Meridion.*	Missouriana	16	4	22	42
» *Indicae Canad.*	Canad. Sup.	16	2	10	28
» *Magdalenensis*	Columbiana	7	—	4	11
» *Manabi-Esmeraldensis*	Baetica	10	—	2	12
» *Montium Saxos.*	Californiae	17	—	12	29
» *Tarahumarensis (disp.)*	Mexicana	5	—	8	13
Guiana Britann.	Angliae.	24	—	—	24
Honduras Britann.: *Belize*	Missouriana	27	6	5	38
Iamaica.	Novae Angliae	21	3	3	27
	Universi	**173**	**16**	**79**	**268**
IN OCEANIA					
Carolinae, Marianae et Marshall	Baetica	**17**	**1**	**21**	**39**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1930		**1576**	**499**	**515**	**2590**
Erant ineunte anno 1929		1541	449	499	2489
Augmentum		**35**	**50**	**16**	**101**

(1) Die 10 oct. 1929 Missio Poonensis a Bombayensi seiuncta est et Provinciae Germaniae Super. commissa.

(2) Die 26 apr. 1930 erecta est haec nova «Praelatura» inter aborigenes Brasiliae.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE

INEUNTE ANNO 1930

ASSISTENTIAE	PROVINCIAE ET VIÇEPROVINCIAE	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	AUGMENTUM Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
ITALIAE	Romana	138	94	66	298	— 2	9	— 2	5
	Brasiliae Centr. (Vicepr.) . .	52	55	29	136	1	6	— 1	6
	Neapolitana	123	128	81	332	2	21	5	28
	Sicula	108	75	78	261	3	— 2	— 2	— 1
	Taurinensis	180	91	63	334	6	8	7	21
	Veneta	217	120	147	484	3	8	— 4	7
	Socii Assist. Italiae	**818**	**563**	**464**	**1845**	**13**	**50**	**3**	**66**
GERMANIAE	Austriae	194	87	108	389	6	7	2	15
	Brasiliae Meridionalis (1). . .	115	77	81	273	3	10	3	16
	Germaniae Inferioris	427	249	235	911	8	12	10	30
	Germaniae Superioris (1) . .	236	142	150	528	2	—	10	12
	Hungariae	87	89	68	244	2	7	4	13
	Neerlandica	307	197	129	633	4	5	3	12
	Socii Assist. Germaniae . .	**1366**	**841**	**771**	**2978**	**25**	**41**	**32**	**98**
GALLIAE	Campaniae	461	233	124	818	3	8	2	13
	Franciae	421	181	122	724	5	6	— 5	6
	Lugdunensis	387	176	145	708	— 2	3	— 2	— 1
	Tolosana	407	161	122	690	3	—	4	7
	Socii Assist. Galliae . . .	**1676**	**751**	**513**	**2940**	**9**	**17**	**— 1**	**25**
HISPANIAE	Aragoniae	400	279	326	1005	—	6	2	8
	Argentino-Chilensis	166	160	144	470	2	—	—	2
	Baetica	183	151	135	469	10	— 9	5	6
	Castellana	372	271	318	961	11	21	14	46
	Columbiana	98	98	115	311	4	— 12	— 2	— 10
	Legionensis	276	246	221	743	5	6	9	20
	Lusitana	180	103	125	408	— 1	13	1	13
	Mexicana	201	90	80	371	—	5	— 4	1
	Toletana	138	136	138	412	5	— 15	1	— 9
	Socii Assist. Hispaniae . .	**2014**	**1534**	**1602**	**5150**	**36**	**15**	**26**	**77**
ANGLIAE	Angliae	464	248	125	837	8	— 5	— 1	2
	Belgica	790	486	188	1464	9	2	— 2	9
	Canadae Inferioris	193	185	110	488	7	4	— 2	9
	Canadae Sup. (Vicepr.) . . .	51	114	28	193	4	7	— 1	10
	Hiberniae	264	217	62	543	—	10	— 2	8
	Socii Assist. Angliae . . .	**1762**	**1250**	**513**	**3525**	**28**	**18**	**— 8**	**38**

(1) A Prov. Germ. Sup. ad Prov. Brasil. Mer. 7 Socii (1 P., 6 Schol.) transcripti sunt.

ASSISTENTIAE	PROVINCIAE ET VICEPROVINCIAE	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
Americae	Californiae	280	279	105	664	14	11	1	26
	Chicagiensis	300	247	58	605	18	—2	1	17
	Marylandiae-Neo Ebor. (1)	449	501	113	1063	9	6	7	22
	Missouriana	360	282	121	763	7	10	6	23
	Neo Aurelianensis	186	108	39	333	—1	8	—5	2
	Novae Angliae (1)	211	337	41	589	16	13	2	31
	Socii Assist. Americae	**1786**	**1754**	**477**	**4017**	**63**	**46**	**12**	**121**
Slavica	Cechoslovachiae	95	84	79	258	—4	6	7	9
	Iugoslaviae (Vicepr.)	72	37	62	171	—	6	2	8
	Poloniae Mai. et Mazov.	86	143	89	318	—	17	2	19
	Poloniae Minoris	142	185	149	476	—1	20	10	29
	Socii Assist. Slavicae	**395**	**449**	**379**	**1223**	**—5**	**49**	**21**	**65**
	Universi ineunte a. 1930	**9817**	**7142**	**4719**	**21.678**	**169**	**236**	**85**	**490**
	Erant ineunte a. 1929	9648	6906	4634	21.188				
	Augmentum	**169**	**236**	**85**	**490**				

(1) Die 6 ian. 1929 ex Prov. Maryl.-N. E. 4 Socii cum Missione Iamaicensi ad Prov. Novae Angliae transcripti sunt.